DE

GRAMMATICAE GRAECAE PRIMORDIIS.

SCRIPSIT

IOANNES CLASSEN

PHIL. DR.

BONNAE

IN COMMISSIS APUD E. WEBERUM.

1829.

Inter humani ingenii inventa, quae diuturna consuetudine quasi naturae iura adepta sunt, nullum fere magis invaluit et latius pervulgatum est, quam grammaticae ratio et usus. Ut primum tenera aetate ad tenuissima litterarum principia accedimus, et in exteris linguis discendis tirocinia ponimus; inscii prope et improvidi artificiosam illam linguae descriptionem, quam magistri per manus nobis tradunt, imbibimus: nemo quaerere curat, unde nata sit seges ista novorum verborum, quibus subito obruimur; vix quisquam, quid sibi velint quidve significent. Quoties quisque, cuius educatio vel paulum ultra barbariam sapit, omnia declinationum et coniugationum nomina, tanquam arcana incantationum vocabula, quorum sensum explorare nefas sit, vel tacita recordatione secum volvit, vel alta voce recitavit iterumque recitavit? Ita quum inter assiduum linguarum studium adolescamus, tantopere aures et memoria grammaticis formis adsuescunt, ut cum ipsa linguae natura nobis cohaerere videantur. Quemadmodum quotidianae vitae usus et negotia mensium et hebdomadum diebus ita contineri et regi sentimus, ut vix aliam temporis distributionem cogitare liceat: sic quoque grammatica linguae descriptio tam penitus mentem nostram insedit, ut nulla arte possit divelli. Neque ego is sum, qui incredibilem huius consuetudinis vigorem reprehendam, aut imminutum et temperatum esse velim: nihil enim magis docendi, inter-

pretandi, disserendi facultatem adiuvat, quam quod de innumeris linguae conversionibus inter omnes convenerit, et verbo unamquamque indicare sufficiat. Sed nimis in vulgus oblitterata esse videtur omnis grammaticae originis memoria, et, quod mirum accidit, inventio artis eius, qua plurimi homines utuntur, si scribendi facultatem, et ipsam cum illa arcte connexam, exceperis, rarissime commemoratur. Mihi autem, quum saepius animum ad hanc quaestionem appellerem, haud indigna videbantur primordia eius artis, cui tot praeclari viri et olim plurimum operae tribuerunt, et nunc quum maxime summa cum laude omne studium suum impendunt, quae diligentius inquirerentur, et, si opus esset, quasi denuo detegerentur. Quamquam enim grammaticae origines aliquoties a viris doctis investigatae et illustratae sunt, omnes tamen veterum more latiores disciplinae fines complexi, quam quibus hodie eam circumscribere solemus, multo maiore diligentia in iis partibus explicandis versati sunt, quas a nostro consilio arcemus, interpretandi dico et iudicandi artem *).

Nos autem quum linguae scientiam et rationem grammaticam dicamus, in principiis eius perscrutandis singulari quadam difficultate impediti tenemur, ut, quod quaerimus, nusquam fere apud veteres scriptores eo nomine, quo nos utimur, expressum, sed

*) Tres potissimum, qui hunc locum tractaverunt, nominandi sunt: I. a Wouveren in Polymathia c. 4. sqq., G. I. Vossius in arte Gramm. L. I. c. 1 — 4. et Henr. Valesius in arte crit. I, c. 1. 2. Maussac. in dissert. crit. ad Harpocrat. totus pendet ab illis, quamvis maligne Wouverum carpat. Recentiorum criticorum neminem novi, qui accuratius de ea re egerit: F. A. Wolf. Prolegg. not. 136. et Lobeck. Parerg. ad Phryn. init. eleganter summa grammaticae historiae lineamenta adumbrarunt.

nomen istud aliis rebus impositum inveniamus, modo exiguae grammaticae parti, modo ampliori disciplinae, cuius pars est grammatica hodierna. Priusquam igitur ad propositum nostrum accedimus, et priscae grammaticae vestigia apud veteres indagare et persequi incipimus; hoc inprimis necessarium esse videtur ad rectam viam tenendam, ut nominis historiam paucis adumbremus, ne diversae longe distantium temporum significationes temere inter se misceantur.

Ubi primum apud graecos scriptores grammaticae artis mentionem factam esse videmus, nihil aliud quam legendi et scribendi facultatem complectitur. *Τὰ γράμματα* enim, a quibus et res initium cepit, et nomen inventum est, praeterquam quod scriptas tabulas vel publicas vel privatas, vel rei publicae acta vel singulorum epistolas designant *), principio nihil nisi litteras seu elementa linguae significant. Hinc igitur a *Platone* primum et grammatica ars et homo grammaticus eo, quem diximus, sensu dicebatur: cuius usus, quum accurata observatione non indignus videatur, praecipua exempla collecta apponemus: Cratyl. p. 431. Steph. 103, 19. Bekk. *ὅταν ταῦτα τὰ γράμματα, τό τε ἄλφα καὶ τὸ βῆτα καὶ ἓν ἕκαστον τῶν στοιχείων τοῖς ὀνόμασιν ἀποδιδῶμεν τῇ γραμματικῇ τέχνῃ.* Soph. p. 253. St. 205, 7. B. *πῶς οὖν οἶδεν, ὁποῖα (γράμματα) ὁποίοις δυνατὰ κοινωνεῖν, ἢ τέχνης δεῖ τῷ μέλλοντι δρᾷν ἱκανῶς αὐτά; — Τ χνης. — Ποίας; — Τῆς γραμματικῆς.* Theaet. p. 207. St. 314, 16. B. *Ὁ δέ γε ἴσως οἴοιτ' ἂν ἡμᾶς ὥσπερ ἂν τὸ σὸν ὄνομα ἐρωτη-*

---

*) Thucyd. V, 29. VIII, 50: *ὁ Ἀλκιβιάδης εὐθὺς πέμπει κατὰ Φρυνίχου γράμματα ἐς τὴν Σάμον πρὸς τοὺς ἐν τέλει ὄντας.* Aristoph. Pl. v. 1167. Nub. 770. Xen. Mem. IV, 2, 24.

θέντας καὶ ἀποκρινομένους κατὰ συλλαβήν, γελοίους εἶναι, ὀρθῶς μὲν δοξάζοντας καὶ λέγοντας ἃ λέγομεν, οἰομένους δὲ γραμματικοὺς εἶναι καὶ ἔχειν τε καὶ λέγειν γραμματικῶς τὸν τοῦ Θεαιτήτου ὀνόματος λόγον. τὸ δ' οὐκ εἶναι ἐπιστημόνως οὐδὲν λέγειν, πρὶν ἂν διὰ τῶν στοιχείων μετὰ τῆς ἀληθοῦς δόξης ἕκαστον περαίνῃ τις. Phileb. p. 17. St. 143, 12. B. φωνὴ μὲν ἡμῖν ἐστί που μία διὰ τοῦ στόματος ἰοῦσα καὶ ἄπειρος αὖ πλήθει πάντων τε καὶ ἑκάστου — καὶ οὐδένι ἑτέρῳ τούτων ἐσμέν πω σοφοί, οὔθ' ὅτι τὸ ἄπειρον αὐτῆς ἴσμεν οὔθ' ὅτι τὸ ἕν· ἀλλ' ὅτι πόσα τέ ἐστι καὶ ὁποῖα, τοῦτ' ἔστι τὸ γραμματικὸν ποιοῦν ἕκαστον ἡμῶν. De re publ. III. p. 402. St. 137, 7. B. ὥσπερ γραμμάτων πέρι τότε ἱκανῶς εἴχομεν, ὅτε τὰ στοιχεῖα μὴ λανθάνοι ἡμᾶς ὀλίγα ὄντα ἐν ἅπασιν οἷς ἐστὶ περιφερόμενα, καὶ οὔτ' ἐν σμικρῷ οὔτ' ἐν μεγάλῳ ἠτιμάζομεν αὐτά, ὡς οὐ δέοι αἰσθάνεσθαι, ἀλλὰ πανταχοῦ προὐθυμούμεθα διαγιγνώσκειν, ὡς οὐ πρότερον ἐσόμενοι γραμματικοὶ πρὶν οὕτως ἔχειν.*) Saepe quoque antiquissima haec grammaticae ars a Platone, sicut erat, ἡ τῶν γραμμάτων μάθησις appellatur. Theaet. p. 206. St. 312, 6. B. ἆρ' οὐ μᾶλλον ἂν ἀποδέξαιο ἐξ ὧν αὐτὸς σύνοισθα σαυτῷ ἐν τῇ τῶν γραμμάτων μαθήσει. Ibid. p. 207. St. 315, 21. B. Protag. p. 345. St. 216, 6. B. τίς οὖν ἐς γράμματα ἀγαθὴ πρᾶξίς ἐστι, καὶ τίς ἄνδρ' ἀγαθὸν εἰς γράμματα ποιεῖ; δῆλον ὅτι ἡ τούτων μάθησις.

*) Eodem sensu mirum illud tragicae artis portentum, quod Callias commentus est, in quo singulae litterae personarum partes explent, ab Athenaeo et fortasse etiam ab antiquioribus τραγῳδία s. θεωρία γραμματικὴ appellata est. v. Ath. VII, 276. a. X, 448. b. 453. c. Cfr. de ea docte disserentes Ill. Hermann. Opusc. T. I. p. 137. et Ill. Boeckh. de Trag. Gr. princc. p. 68.

Quum igitur priscae grammaticae summa in perfecta legendi et scribendi facultate posita esset *), praecipua cura in litterarum (τῶν στοιχείων) natura dispicienda impendebatur, ut genera earum distribuerentur, et affinitatis et discrepantiae leges explorarentur. Cuius studii luculentissimum exemplum in Platonis Cratylo exstat p. 424. St. 88, 2. B. Ἀρ' οὖν καὶ ἡμᾶς οὕτω δεῖ πρῶτον μὲν τὰ φωνήεντα διελέσθαι, ἔπειτα τῶν ἑτέρων κατὰ εἴδη τά τε ἄφωνα καὶ ἄφθογγα — οὑτωσὶ γάρ που λέγουσιν οἱ δεινοὶ περὶ τούτων — καὶ τὰ αὖ φωνήεντα μὲν οὔ, οὐ μέντοι γε ἄφθογγα, καὶ αὐτῶν τῶν φωνηέντων ὅσα διάφορα εἴδη ἔχει ἀλλήλων. — et in Theaet. p. 206. St. 312, 9. B. (ἐν τῇ τῶν γραμμάτων μαθήσει) οὐδὲν ἄλλο μανθάνων διετέλεσας ἢ τὰ στοιχεῖα ἔν τε τῇ ὄψει διαγιγνώσκειν πειρώμενος καὶ ἐν τῇ ἀκοῇ αὐτὸ καθ' αὑτὸ ἕκαστον, ἵνα μὴ ἡ θέσις σε ταράττοι λεγομένων τε καὶ γραφομένων.

Grammaticus igitur Platonis aetate, quicunque his litterarum elementis imbutus erat, dicebatur **); γραμματιστής autem huius disciplinae magister audiebat ***), qui, quamquam ludum eius nobilissimus quisque puer frequentabat, ipse tamen ne-

---

*) Legg. VII. p. 810. St. 44, 12. B. γράμματα μὲν τοίνυν χρὴ τὸ μέχρι τοῦ γράψαι τε καὶ ἀναγνῶναι δυνατὸν εἶναι διαπονεῖν.

**) Vid. praeter loca ex Platone supra allata Xenoph. Mem. IV, 2, 20.

***) Plat. Prot. p. 312. St. 155, 4. B. οὐ — τὴν παρὰ Πρωταγόρου μάθησιν, ἀλλ' οἵαπερ ἡ παρὰ τοῦ γραμματιστοῦ ἐγένετο καὶ κιθαριστοῦ καὶ παιδοτρίβου· τούτων γὰρ σὺ ἑκάστην οὐκ ἐπὶ τέχνῃ ἔμαθες ὡς δημιουργὸς ἐσόμενος, ἀλλ' ἐπὶ παιδείᾳ ὡς τὸν ἰδιώτην καὶ τὸν ἐλεύθερον πρέπει. Euthyd. p. 276. St. 402, 12. B. ὥσπερ ὁ κιθαριστὴς καὶ γραμματιστὴς διδάσκαλοι δήπου ἦσαν σοῦ καὶ τῶν ἄλλων παίδων, ὑμεῖς δὲ μαθηταί. Legg. VII. p. 812. St. 48, 7. B.

quaquam magno honore habebatur; nam eius ars infimum graecae educationis locum obtinebat *), cuius dignitas et honor in musica et gymnastica arte posita erant. Grammatistae conditio quam contempta et despecta inter ingenuos habita sit, Demosthenes satis declarat, qui Aeschinis genus ignominia satis notasse sibi videtur, quum patrem eius Atrometum grammatistam appellet **), quique gravissimis eiusdem opprobriis illud adnumerat, quod *τὰ γράμματα ἐδίδασκε*, quum ipse didicisset ***).

Eadem grammaticae artis significatio, quam in Platone obtinere demonstravimus, apud *Aristotelem* manebat. Ab illo quoque idem ei constituitur locus ante musicam et gymnasticam, quem antea occupabat: Polit. VIII, 3. *ἔστι τέτταρα σχεδόν, ἃ παιδεύειν εἰώθασι, γράμματα καὶ γυμναστικὴν καὶ μουσικήν, καὶ τέταρτον ἔνιοι γραφικήν.* Sed non sine insigni quadam laude eam commemorat eod. 1: *τὴν μὲν γραμματικὴν καὶ γραφικὴν ὡς χρησίμους πρὸς τὸν βίον οὔσας καὶ πολυχρήστους*, et mox: *τὴν μουσικὴν εἰς παιδείαν ἔταξαν οὐδ' ὡς χρήσιμον ὥσπερ τὰ γράμματα πρὸς χρηματισμὸν καὶ πρὸς οἰκονομίαν καὶ πρὸς μάθησιν καὶ πρὸς πολιτικὰς πράξεις.* Tamen nondum ultra fines illas excessit, quibus legendi et scribendi facultas continetur; sed ubicunque grammaticae mentio incidit, in primis litterarum elementis versatur: Categ. c. 9. *ἐπὶ τῆς γραμματικῆς τὰ στοιχεῖα πρότερα τῶν συλλαβῶν.* Top. VI, c. 4. ed. Sylb. c. 5. ed. Buhl.

---

*) Aristoph. Eqq. v. 189.

ἀλλ', ὦ 'γαθ' οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι
πλὴν γραμμάτων, καὶ ταῦτα μέντοι κακὰ κακῶς.

**) Dem. F. Leg. p. 484. Bkk.

***) Dem. p. Cor. p. 346. Bkk.

ὁμοίως καὶ εἰ τὴν γραμματικὴν ὡρίσατο ἐπιστήμην γραμμάτων. Elench. Soph. I, 3. τὰ ἀποστοματιζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί*). Ethic. Nicom. II, 4. πότε ἔσται γραμματικός, ἐὰν καὶ γραμματικόν τι ποιήσῃ καὶ γραμματικῶς· τοῦτο δ' ἔστι τὸ κατὰ τὴν ἐν αὐτῷ γραμματικήν; Eth. Magn. II, 7. ἐὰν ἔχῃ γὰρ Λάμπρος τὴν γραμματικὴν, ὁμοίως δὲ διακείσεται ὑπὸ τῆς γραμματικῆς ταύτης ὁ γραμματικὸς ἄλλῳ ὁτῳοῦν ἔχοντι γραμματικήν, οὐ δύο εἰσὶ διάφοροι αἱ γραμματικαί, ἥ τ' ἐν Λάμπρῳ καὶ ἐν Ἠλεῖ.

Quum igitur in Aristotelis libris nusquam grammaticae nomen latiore significatione usurpatum videamus, magnopere mirandum est, tam brevi tempore post eius aetatem huius nominis artem ad amplissimam dignitatem esse evectam. Iam enim ad ea tempora accedimus, quibus in celeberrimis Pergami et Alexandriae litterarum sedibus doctissimi viri grammaticorum nomine gloriabantur. Sed ad hanc conversionem persequendam et explicandam certis testimoniis plane destituti sumus. Sextus Empiricus, cuius fides nobis dehinc praecipue sequenda est, ab antiquiore nullo quam a Cratete artis grammaticae definitionem servavit; nam quod Adv. Gramm. I. p. 224. n. 44. ed. Fabr. τὴν ἐντελῆ γραμματικὴν καὶ τοῖς περὶ Κράτητα τὸν Μαλλώτην, Ἀριστοφάνην τε καὶ Ἀρίσταρχον ἐκπονηθεῖσαν appellat, id ipsius verbis dictum putandum est, neque quidquam de Aristophanis et Aristarchi loquendi usu illustrat. Tamen non dubito, iam inter proximos Aristotelis successores eam grammaticae significationem in usum venisse, quam

*) Haec verba respiciunt locum Platonicum Euthyd. p. 403, 3. B ὁπότε ἀποστοματίζοι ὑμῖν ὁ γραμματιστής, πότεροι ἐμάνθανον τῶν παίδων τὰ ἀποστοματιζόμενα, οἱ σοφοὶ ἢ οἱ ἀμαθεῖς;

Alexandrini celebrabant. Primum iam Heraclidem Ponticum, Aristotelis aequalem, in libro illo, quem *γραμματικὰ* inscripsit teste Diogene Laert. p. 135. ed. Menag. non in elementorum doctrina, sed in linguae arte vel in critico argumento versatum fuisse credibile est. Tum autem suspicio illa memorabili quodam Clementis Alexandrini loco confirmatur, qui primum recentioris dicendi usus auctorem *Praxiphanem* appellat: Stromm. I. p. 309. ed. Heins. *Ἀπολλόδωρος ὁ Κυμαῖος πρῶτος τοῦ κριτικοῦ εἰσηγήσατο τοὔνομα καὶ γ ρ α μ μ α τ ι κ ὸ ς προσηγορεύθη· ἔνιοι δὲ Ἐρατοσθένη τὸν Κυρηναῖον φασιν, ἐπειδὴ ἐξέδωκεν οὗτος βιβλία δύο γραμματικὰ ἐπιγράψας· ὠνομάσθη δὲ γραμματικὸς, ὡς νῦν ὀνομάζομεν, πρῶτος Π ρ α ξ ι φ ά ν η ς.* Huic potius fides habenda videtur quam Theodosii scholiis ad Dionysii Thracis grammaticam, quae alium amplificati nominis auctorem tradunt loco quodam a Burmann. ad Vales. art. crit. pag. 146. exscripto, a Bekkero non edito: *τὸ πρότερον κριτικὴ ἐλέγετο καὶ οἱ ταύτην μετιόντες κριτικοί· Αὐτόδορος* (sic) *δὲ ὁ Κυμαῖος συγγραψάμενος λέξιν, ἐπέγραψεν Αὐτοδόρου γραμματικοῦ λέξιν. καὶ ἐκ τούτου ποτὲ ἡ κριτικὴ γραμματικὴ λέλεκται καὶ γραμματικοὶ οἱ ταύτην μετιόντες.* Quum enim nomen aperte corruptum sit, (Autodorus idem cum Clementis Apollodoro esse videtur) optimo iure etiam res perturbatas esse suspicari licet. Apollodorus igitur Cumanus primus criticam artem hoc nomine dictam professus esse putandus est, sive malis Eratosthenes, grammaticus uterque cognominatus: sed Praxiphanem potissimum grammatici nomen latius extendisse credimus. Fuit hic Theophrasti sodalis vel discipulus teste scholiasta ad Hesiod. Opp. init. *); idemque in gram-

---

*) Vid. Procli prolegg. ad Hesiod. Opp. p. 4. ed. Gaisf. Lips. Ὅτι

maticis aut criticis quaestionibus tanquam idoneus testis commemoratur a Demetr. d. Eloc. c. 57., a Marcellino Vit. Thuc. p. VII; a Schol. ad Soph. Oed. C. v. 893; denique in scholiis ad Dionys. gramm. pag. 729. ed. Bekk. ubi mendose nunc legitur: *ἡ δὲ (γραμματικὴ) περὶ τὸν ἑλληνισμόν, ἥτις καὶ δευτέρα ἐστίν, ἀρξαμένη μὲν ἀπὸ Θεογένους**), *τελεσθεῖσα δὲ παρὰ τῶν Περιπατητικῶν, παρ' Ἐξιφάνους τε καὶ Ἀριστοτέλους·* aperte rescribendum est: *Πραξιφάνους τ. κ. Ἀρ.*

Grammatica igitur quasi novum regnum nacta proxime ad nostram philologiam accedebat: nam praeter linguae scientiam veterum scriptorum explicationem, aestimationem et conservationem tanquam proprium munus sibi vindicabat. *Τὰ γράμματα* quoque eodem tempore antiquae significationis fines egressa, sicut litterae Romanorum, quicquid scripto mandatum erat, complectebantur **). Sed nobilis illa grammaticae ars minime iisdem finibus ab omnibus circumscribebatur. Similes, ut in re simili, controversiae inter veteres grammaticos agitabantur, quales nostra aetate de philologiae argumento et ambitu existere vidimus. Crates inprimis Mallotes, Perga-

---

δὲ τὸ προοίμιόν τινες διέγραψαν ὥσπερ ἄλλοι τε καὶ Ἀρίσταρχος ὀβελίζων τοὺς στίχους καὶ Πραξιφάνης ὁ τοῦ Θεοφράστου μαθητής, μηδὲ τοῦτο ἀγνοῶμεν.

*) Quis sit Theogenes iste, secundae grammaticae auctor, nusquam invenio: fortasse de Theodecte cogitabat scriptor neglegentissimus; quem Dionys. C. V. I, 2. et Quinctil. I, 4. cum Aristotele inter primos grammaticae auctores nominant.

**) Huius usus exempla Sext. Empir. adv. Gramm. p. 225. 226. Callimachi versus affert, quibus et carmen Creophyli, et Platonis Phaedo *γράμμα* appellatur: eosdem versus repetit Schol. ad Dionys. Thr. p. 725. Bkk.

menae scholae princeps, criticam grammatica contineri nolebat, sed illam primariam artem esse statuebat, cuius grammatica, quae unice in lingua explicanda versaretur, quasi ancilla esset *). Idem fere volebat Tauriscus, Cratetis discipulus, qui grammaticam criticae partem fecit **). Contra quos grammaticae dignitatem Aristarchus tuebatur, cuius sententiam ex verbis Dionysii Thracis, discipuli eius, satis cognoscimus: *γραμματική ἐστιν ἐμπειρία τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ λεγομένων*. Deinde sex eius partes enumerantur, quae omnia perfecti philologi officia complectuntur: lectio peritissima secundum accentus, poëticarum figurarum expositio, verborum et rerum explanatio, etymologiae inventio, analogiae exploratio et iudicium de poëmatis ***). Hanc definitionem et distributionem valde notam et pervulgatam fuisse, inde apparet, quod sequentium grammaticorum sententiae omnes fere hanc tanquam receptam aliquam formulam respiciunt et emendare conantur. Ptolemaei

---

*) Vid. Sext. adv. Math. p. 233: *ἐκεῖνος (ὁ Κράτης) ἔλεγε διαφέρειν τὸν κριτικὸν γραμματικοῦ· καὶ τὸν μὲν κριτικὸν πάσης, φησὶ, δεῖ λογικῆς ἐπιστήμης ἔμπειρον εἶναι· τὸν δὲ γραμματικὸν ἁπλῶς γλωσσῶν ἐξηγητικὸν καὶ προσῳδίας ἀποδοτικὸν καὶ τῶν τούτοις παραπλησίων εἰδήμονα· παρὸ καὶ ἐοικέναι ἐκεῖνον μὲν ἀρχιτέκτονι, τὸν δὲ γραμματικὸν ὑπηρέτῃ.*

**) Sext. adv. M. p. 268: *Ταυρίσκος, ὁ Κράτητος ἀκουστής, ὥσπερ οἱ ἄλλοι κριτικοὶ, ὑποτάσσων τῇ κριτικῇ τὴν γραμματικήν. Critici* igitur, haud dubie a Cratete profecti, peculiarem scholam constituebant, quae Pergami floruisse videtur.

***) Dionys. Thr. Gramm. init. in Fabric. Bibl. Gr. Vol. VI. et Bekk. Anecd. II. p. 629. Sext. Emp. eadem verba Dionysii nomine exhibet pag. 228 et 268.

Peripatetici, Charetis, Demetrii Chlori, Asclepiadis Myrleani, aliorum placita de grammatici natura apud Sextum Emp. p. 231. sqq. cognoscere licet. Quorum definitiones quamvis varie inter se discrepent, in omnibus tamen hae tres grammaticae partes apparent: *τὸ τεχνικόν*, in quo linguae ratio docebatur, *τὸ ἱστορικόν*, in quo rerum et hominum notitia tradebatur, et *τὸ ἰδιαίτερον*, sive grammatica proprie sic dicta, quae interpretationem scriptorum et iudicium exercebat. Haec est eadem grammaticae distributio, quam Cicero Graecorum more proposuit de Orat. I, 42: *Omnia fere, quae sunt conclusa nunc artibus, dispersa et dissipata quondam fuerunt, ut in grammaticis poëtarum tractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus:* nam linguae scientiam in duas partes divisit, verborum explicationem et pronuntiationem. Et hunc quidem ambitum grammatica ars per totam antiquitatem retinebat, ita tamen, ut illa pars, quae ad linguam pertineret, etiam a serioribus scriptoribus potissimum grammaticae nomine appellaretur: veluti Dionysius Halicarnassensis, qui bis simillimis locis grammaticae studium, quale ipsius aetate in usu erat, describit, huius disciplinae progressum inde a primis elementis discendis usque ad perfectam lectionem persequitur *). Plutarchus quoque angu-

---

*) Dionys. Hal. de Demosth. praest. p. 1115 ed. Reisk.: *ταυτην τὴν γραμματικὴν ὅταν ἐκμάθωμεν, πρῶτον μὲν τὰ ὀνόματα τῶν στοιχείων τῆς φωνῆς ἀναλαμβάνομεν, ἃ καλεῖται γράμματα, ἔπειτα τύπους τ' αὐτῶν καὶ δυνάμεις, ὅταν δὲ ταῦτα μάθωμεν, τότε τὰς συλλαβὰς αὐτῶν καὶ τὰ περὶ ταῦτα πάθη, κρατήσαντες δὲ τούτων τὰ τοῦ λόγου μόρια, ὀνόματα λέγω καὶ ῥήματα καὶ συνδέσμους καὶ τὰ συμβεβηκότα τούτοις, συστολάς, ἐκτάσεις, ὀξύτητας, βαρύτητας, γένη, πτώ-*

stioribus finibus grammaticam circumscribit; quum eam *τέχνην ἐπιτήδειον γράμμαις τὰς φωνὰς δημιουργεῖν καὶ ταμιεύειν τῇ ἀναμνήσει* esse dicat *). Sed alii, quibus tam minuta grammaticae pars vix cum nobili illa arte coniuncta esse videbatur, duplicem grammaticam esse statuebant, alteram humilem et imperfectam, quae in primis litterarum elementis haereret, alteram praestantissimam artem et late patentem, quae in scriptoribus interpretandis et iudicandis regnaret **); illam ab ea significatione *τῶν γραμμάτων*, qua elementa essent, hanc

---

σεις, ἀριθμούς, ἐγκλίσεις, τὰ ἄλλα παραπλήσια τούτοις μύρια ὀνόματα· ὅταν δὲ τὴν τούτων ἁπάντων ἐπιστήμην περιλάβωμεν, τότ' ἀρχόμεθα γράφειν τε καὶ ἀναγιγνώσκειν, κατὰ συλλαβὴν μὲν καὶ βραδέως τὸ πρῶτον, ἅτε νεαρᾶς οὔσης ἔτι τῆς ἕξεως, προβαίνοντος δὲ τοῦ χρόνου καὶ τόνον ἰσχυρὸν τῇ ψυχῇ περιτιθέντος ἐκ τῆς συνεχοῦς μελέτης, τότ' ἀπταίστως τε καὶ κατὰ πολλὴν εὐπέτειαν, καὶ πᾶν ὅ τι ἂν ἀποδιδῷ τις βιβλίον, οὐδὲν ἐκείνων ἔτι τῶν πολλῶν θεωρημάτων ἀναπολοῦντες ἅμα νοήσει διερχόμεθα. Eadem fere leguntur de Comp. Verbb. p. 414. ed. Schaef.

*) Plut. de Mus. pag. 1131. ed. Xyl.

**) v. Philon. Iud. in libro: *περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου* p. 348, b. c.: *Τὸ γράφειν καὶ ἀναγιγνώσκειν γραμματικῆς τε ἀτελεστέρας ἐπάγγελμα, ἣν παρατρέποντές τινες γραμματιστικὴν καλοῦσι.* — eund. *περὶ ὀνείρων* p. 462, g: *Λαβὼν ἀπὸ τῆς παιδικῆς γραμματικῆς δύο τὰ πρῶτα, τό τε γράφειν καὶ τὸ ἀναγιγνώσκειν, ἀπὸ δὲ τῆς τελειοτέρας τήν τε παρὰ τοῖς ποιηταῖς ἐμπειρίαν καὶ τὴν ἀρχαίας ἱστορίας ἀνάληψιν.* — Sext. adv. Math. p. 226: *διττῆς οὔσης γραμματικῆς τῆς μὲν τὰ στοιχεῖα καὶ τὰς τούτων συμπλοκὰς διδάξειν ἐπαγγελλομένης καὶ καθόλου τέχνης τινὸς οὔσης τοῦ γράφειν τε καὶ ἀναγιγνώσκειν· τῆς δὲ βαθυτέρας παρὰ ταύτην δυνάμεως.*

ab altera, qua totius gentis eruditionem litteris consignatam complecteretur, dictam esse voluerunt*): in quo illud falsum est, quod longe distantium aetatum notiones in unum tempus congeruntur, et discrimen, quod temporum decursu paulatim ortum est, ex vocabuli origine petitur. Denique grammatici Latini in ea potissimum doctrinae parte, quam veteres *τεχνικὴν* appellarunt, elaborabant: a quibus nos quoque arctiorem nominis usum accepimus.

Quum igitur ex digressione ista, qua varias grammaticae nominis conversiones persequuti sumus, ad propositum nostrum redeamus, hunc fructum primum inde percipimus, quod quae de grammaticae inventoribus vel auctoribus passim traduntur, cautissime legemus, et ex diversa vocabuli significatione iudicabimus. Itaque quum a Suida serio Prometheum primum grammaticae cultorem praedicari audiamus, licet sane ridere de insperata artis nostrae antiquitate et nobilitate originis: facile tamen intelligimus nihil aliud hac narratione indicari, quam quod vulgata illa fabula de Prometheo litterarum scribendique artis inventore continetur. Sed altiorem grammaticae significationem respexit Phavorinus, quum apud Diog. Laërt. L. VIII. testetur: *Πλάτωνα πρῶτον θεωρῆσαι τῆς γραμματικῆς δύναμιν.* Is enim haud dubie quaestiones illas de litterarum natura ob oculos habet, quas Plato primus in Cratylo instituisse videtur, ita ut plane consentiat cum verbis

*) Sext. Emp. p. 224: *ἡ μὲν πρώτη ἀπὸ τῶν γράμματων, οἷς σημειούμεθα τὰς ἐνάρθρους φωνάς, ἡ δὲ δευτέρα τάχα μὲν ὥς τινες ἠξιώκασιν διατακτικώτερον* (leg. *διατατικώτερον*) *ἀπὸ τῆς πρώτης — — τάχα δέ, ὥς φασιν οἱ περὶ τὸν Ἀσκληπιάδην, καὶ αὕτη ἀπὸ μὲν γραμμάτων ὠνομάσθη — ἀπὸ τῶν συγγραμμάτων, περὶ οἷς πονεῖται.*

Dionysii de Comp. Verbb. c. 16. p. 196. ed. Schaef.: τὰ κράτιστα νέμω ὡς πρώτῳ τὸν ὑπὲρ ἐτυμολογίας εἰσάγοντι λόγον Πλάτωνι τῷ Σωκρατικῷ πολλαχῇ μὲν καὶ ἄλλοθι, μάλιστα δ' ἐν τῷ Κρατύλῳ. Sed longe aliam grammaticae naturam spectavit Dio Chrysostomus, qui orat. 53. diserte dicit: Ἀριστοτέλης, ἀφ' οὗ φασι τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν. Aperte enim hic aetatis suae dicendi usum sequutus diligentiorem poëtarum explanationem et accuratius iudicium ab Aristotele initium cepisse voluit. Nos autem, quum linguae scientiae initia quaeramus, ipsa rei natura sperare vetat, nomen inventoris alicuius explorari posse. Vix enim ulla alia ars ex tam obscuris principiis orta tam leni progressu aucta est. Quin etiam illud dubitari possit, cuinam genti primam eius culturam assignemus, annon forte ex Oriente ad Graecos antiquissima grammatica transierit. Quamquam haec dubitatio non diu obtinere potest; hoc enim certissime nos demonstraturos esse confidimus, totam illam, qua hodie utimur, linguae rationem et descriptionem a Graecis esse excogitatam, et ab iisdem paulatim ad finem perductam: ita ut nobilissimae huic terrae, quam quisque liberali ingenio praeditus non sine voluptate quadam humanitatis nostrae matrem veneratur, etiam hanc humanae institutionis partem acceptam referamus. Sed Graecia iamdiu ceterarum artium laude floruerat, priusquam usus et necessitas ad grammaticam excolendam hominum ingenia adduxit. Hoc erat, ut omnium iuvenilium gentium, sic maxime Graecorum indoli proprium, ut ad externam omnium rerum speciem prius et attentius converterentur, quam internam earum naturam explorarent; ut universam vitam apertis oculis et sanis sensibus contemplatam potius ingenii sui formis et operibus implerent, quam mentem suam in rebus indagandis immer-

gerent; denique ut omnibus naturae donis laeto animo potius fruerentur, quam origines eorum anxie circumspicerent. Sic igitur summa Graecorum ingenia iampridem lingua sua maximam operum illorum partem condiderant, quibus gens ipsorum in aeternum fulgebit, antequam otiosiores homines et minus beati ad internam huius linguae naturam perscrutandam animum appellerent. Neque id ipsum subito susceptum et perfectum est, sed etiam in huius studii initiis Graeci ingenii proprietas cognoscitur. Quemadmodum enim philosophia Graecorum ex diuturna contemplatione rerum naturae paulatim ad animum humanum cognoscendum progressa est, sic etiam linguae cognitio prius in externa eius parte explicanda occupata, sero denique ad illas leges observandas conversa est, quae cum cogitandi et iudicandi ratione arcte coniunctae sunt. Quare absolutam grammaticae artem in ea demum philosophiae disciplina inveniemus, in qua dialectica quam maxime colebatur: sed priusquam illuc procedimus, apud antiquiores potissimum scriptores omnia vestigia nobis indaganda esse duximus, quae sensim ad subtilius linguae studium ducebant.

Quum plura sint, quibus linguae observatio antiquissimis temporibus excitabatur, tria potissimum discernenda videbantur, a quibus initium cepit: explanatio veterum poëtarum, rhetoricae studium, et philosophica etymologiae inquisitio. Quarum rerum qnantum quaeque ad grammaticam generandam et conformandam contulerit, primum exponemus, tum ipsa huius artis principia investigabimus, eaque, quantum fieri poterit, continuo progressu usque ad absolutam eius perfectionem persequemur.

I. Quum veterum poëtarum interpretationem inter praecipuos grammaticae fontes numeremus, non tam de ea parte huius studii cogitamus, quae in rebus et sententiis carminum

explicandis et diiudicandis versatur. Hanc operam a rhapsodis et antiquis philosophis, Xenophane, Heraclito, Anaxagora, Metrodoro in Homeri et aliorum carminibus collocatam post Wolfium *) explicare neque animum induximus, neque si actum agere libuisset, huius loci foret. Illud nobis quaerendum est, quantum pervulgata poëtarum lectio et auditio ad linguam accuratius observandam conduxerit. Facile igitur apparet, quum omnes deinceps Graeciae populi, qui quum moribus et institutis, tum linguae dialectis plurimum inter se distabant, suis gauderent vatibus suoque poëticae genere, alienorum poëtarum lectionem non sine ignotorum verborum explicatione et dissidentium formarum comparatione institui potuisse. Primum hoc in Homero factum esse, cuius dicendi genus haud dubie iam per sextum ante Christum saeculum non amplius in ulla Graeciae parte in hominum oribus vigebat, quum per se credibile est, tum certis testimoniis firmatur. Nam inter *Democriti* Abderitae, illustris philosophi scripta a Diogene Laërtio l. IX. p. 249. ed. Men. liber *περὶ Ὁμήρου ἢ* **) *ὀρθοεπείης καὶ γλωσσέων* recensetur. Et haec quidem tam eximii viri Homericae linguae cura in primis huius studii initiis ponenda esse videtur. Idem quantum diligentiae in accurata omnium poëtarum tractatione impenderit, etiam ex aliis eius scriptis colligimus, quorum titulos Diogenes servavit: *περὶ ῥυθμῶν καὶ ἁρμονίης, περὶ ποιήσεως, περὶ καλλοσύνης ἐπέων, περὶ εὐφώνων καὶ δυσφώνων γραμμάτων* (sic scribendum cum cod. Reg. pro vulgato *πραγμάτων*), *περὶ ἀοιδῆς, περὶ ῥημάτων, ὀνομαστικόν.* Haec omnia quum insignem Democriti litterarum amorem osten-

*) V. Prolegg. pag. CLXI. seqq.

**) Particula *ἢ* delenda videtur, aut pro ea rescribendum *περί*.

dant, fortasse non iniuria suspicamur ipsum ex colonia Ionica, Teïa scilicet, oriundum, qui tamen cum Atticis et Eleaticis, qui tum florebant, philosophis commercio fortasse et consuetudine, certe scriptorum cognitione coniunctus erat, ex dialectorum comparatione ad difficilia Homeri vocabula illustranda praecipue idoneum fuisse et propensum. Hoc certe memoratu dignum videtur, quod simile poëtarum et poëticae linguae studium a *Protagora* foveri videmus, eiusdem oppidi cive et Democrito aetate suppari. Quare etiamsi non Phavorino fidem habendam ducimus, qui Protagoram Democriti scholis interfuisse tradidit *), aliquem tamen studiorum nexum inter eos fuisse, vix dubitari potest. Nam certe non sine causa Plato Protagoram dicentem facit Prot. p. 204, 17. B. *ἡγοῦμαι ἐγὼ ἀνδρὶ παιδείας μέγιστον μέρος εἶναι περὶ ἐπῶν δεινὸν εἶναι· ἔστι δὲ τοῦτο τὰ ὑπὸ τῶν ποιητῶν λεγόμενα οἷόν τ' εἶναι ξυνιέναι ἅ τε ὀρθῶς πεποίηται καὶ ἃ μή, καὶ ἐπίστασθαι διελεῖν καὶ ἐρωτώμενον λόγον δοῦναι* **). Scio equidem eiusmodi poëtarum studium magis in discendis et memoria tenendis carminibus quam in grammatica eorum interpretatione positum esse; sed tamen hanc quoque cum ipsa lectione nasci et succrescere oportuit, quum dubitationes et controversiae vitari non possent. Ex quo genere illud est, quod dicit Protagoras: *τὸ ἐπίστασθαι διελεῖν τε καὶ ἐρωτώ-*

*) Apud Diog. L. l. IX. p. 250: *διήκουσε δὲ Δημοκρίτου ὁ Πρωταγόρας, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ.*

**) Illud, quod dicit h. l. *περὶ ἐπῶν*, quod ad poëticam dictionem *τῷ λόγῳ* oppositam (p. 215, 1.) pertinet, Protagorae propria appellatio esse videtur, si modo conferas pag. 210, 16: *εἰ βούλει λαβεῖν μου πεῖραν, ὅπως ἔχω, ὃ σὺ λέγεις τοῦτο, περὶ ἐπῶν.*

μέλον λόγον δεῦναι, quod ad iustam periodorum constructionem et membrorum divisionem spectat. Sed luculentissimum veteris interpretationis exemplum tenemus in Platonis Protagora p. 343. Steph. 213, 4. B., ubi Socrates post Protagorae disputationem, quam improbat, ipse locum aliquem Simonidis accuratissime tractat. In quo quum Plato haud dubie veram eius rationis imaginem effinxerit, qua illo tempore veterum poëtarum carmina explicari solebant, optime inde cognoscere licet, quales in hoc munere tum grammaticae partes fuerint. Nihil simplicius et expeditius cogitari potest: artis nomina aut nulla aut paucissima inveniuntur: orationis genus illo loco nihil a communi totius dialogi sermone differt; omnia testantur, nihil ultra necessitatem inventum et elaboratum esse. Operae pretium est, eas huius interpretationis partes indicare, quae proxime ad nostram grammaticam rationem accedunt.

Primum Socrates ut ostendat, Simonidei carminis initium: *„ἄνδρ' ἀγαθὸν μὲν ἀλαθέως γενέσθαι χαλεπόν"* diserte contra Pittacum esse compositum, sic disserit: *Εὐθὺς γὰρ τὸ πρῶτον τοῦ ᾄσματος μανικὸν ἂν φανείη, εἰ βουλόμενος λέγειν ὅτι ἄνδρα ἀγαθὸν γενέσθαι χαλεπὸν ἔπειτα ἐνέβαλεν τὸ μέν· τοῦτο γὰρ οὐδὲ πρὸς ἕνα λόγον φαίνεται ἐμβεβλῆσθαι, ἐὰν μή τις ὑπολάβῃ πρὸς τὸ τοῦ Πιττακοῦ ῥῆμα ὥσπερ ἐρίζοντα λέγειν τὸν Σιμωνίδην.* Quod hoc loco sine ulla docendi ostentatione de particula *μὲν* docetur: nunquam eam in simplici sententia poni, sed alterum membrum semper aut adesse aut cogitari debere, est hoc grammaticum praeceptum, quod simili ratione et hodie tradi potest. Mox quum adverbium *ἀλαθέως* non ad verba *ἀγαθὸν γενέσθαι*, sed ad *χαλεπὸν* trahendum censeat, sic hoc demonstrare conatur: (*ὑπολαβεῖν δεῖ αὐτὸν*) *ἀμφισβητοῦντα εἰπεῖν ὅτι*

Οὐκ, ἀλλὰ γενέσθαι μὲν χαλεπὸν ἄνδρ' ἀγαθόν ἐστιν, ὦ Πιττακέ, ὡς ἀληθῶς, — οὐκ ἀληθείᾳ ἀγαθόν, οὐκ ἐπὶ τούτῳ λέγει τὴν ἀλήθειαν, ὡς ἄρα ὄντων τινῶν τῶν μὲν ὡς ἀληθῶς ἀγαθῶν, τῶν δὲ ἀγαθῶν μέν, οὐ μέντοι ἀληθῶς. εὔηθες γάρ τοῦτό γε φανείη ἂν καὶ οὐ Σιμωνίδου, ἀλλ' ὑπερβατὸν δεῖ θεῖναι ἐν τῷ ᾄσματι τὸ ἀληθέως — — οὐ γάρ εἶναι, ἀλλὰ γενέσθαι μέν ἐστιν ἄνδρ' ἀγαθὸν — — χαλεπὸν ἀλαθέως· οὕτω φαίνεται πρὸς λόγον τὸ μὲν ἐμβεβλημένον, καὶ τὸ ἀλαθέως ὀρθῶς ἐπ' ἐσχάτῳ κείμενον. Non id quaerimus hoc loco, an recte Socrates aut Plato interpretatus sit Simonidis verba (quod non fecisse eum, persuasum habeo); sed interpretandi rationem spectamus: quae quidem ab hodierna consuetudine tam parum abhorret, ut aliquis nostrorum grammaticorum, eandem sententiam non multo aliter expressurus foret; quum praesertim figura ista τοῦ ὑπερβατοῦ eodem nomine in eadem re etiamnum valeat. Nomen fortasse in rhetorum scholis inventum et Aristotelis quoque aetate usurpatum *), in sequentium grammaticorum dicendi usum transiit. Denique in fine carminis aut partis eius, quam Plato h. l. tractat, Socrates haec verba: „πάντας δὲ ἐπαίνημι καὶ φιλέω ἑκὼν ὅστις ἕρδῃ μηδὲν αἰσχρόν· ἀνάγκῃ δ' οὐδὲ θεοὶ μάχονται" sic explicat: πάντας δὲ ἐπαίνημι καὶ φιλέω ἑκὼν (ἐνταῦθα δεῖ ἐν τῷ ἑκὼν διαλαβεῖν λέγοντα) ὅστις ἕρδῃ μηδὲν αἰσχρόν, ἄκων δ' ἔστιν οὓς ἐγὼ ἐπαινῶ καὶ φιλῶ. Etiam h. l. Plato, si serio ita interpretatur,

---

*) Rhet. ad Alex. cap. 26. et 31: σαφῶς δηλώσομεν ἀπὸ μὲν τῶν πραγμάτων, ἐὰν μὴ ὑπερβατῶς αὐτὰ δηλῶμεν, ἀλλὰ τὰ πρῶτα πραχθέντα ἢ πραττόμενα ἢ πραχθησόμενα πρῶτα λέγωμεν, τὰ δὲ λοιπὰ ἐφεξῆς τάττωμεν. v. Heindorf. ad Plat. Pr. l. c.

haud dubie errat, qui suae doctrinae placitum, neminem sponte malum esse, a Simonide quoque agnosci et confirmari velit: nos autem inprimis verbum *διαλαβεῖν* grammatico sensu voce aut interpunctione incidendi positum animadvertimus: quo sensu Aristoteles verbum *διελεῖν* usurpavit Elench. Soph. lib. II. p. 422. ed. Sylb. *οὐ ταὐτὸν σημαίνει, ἐὰν διελών τις εἴπῃ ἢ συνθείς*, neque dubito sic quoque intelligendum esse *τὸ διελεῖν ἐπίστασθαι*, quod Protagoras commendat l. supra c.

Hoc exemplum igitur quum veterem interprctandi rationem satis demonstret, in qua etiam sine nominum usu, quae ars invenit, multa ad grammaticas leges revocabantur; quam late ea patuerit, aliunde cognoscimus. Nam in ludis puerorum, traditis primis elementis, multum operae in lectione poëtarum ponebatur: cuius rei egregiam descriptionem rursus ex Platone petimus Protag. p. 325. St. 180, 6. B. *Οἱ διδάσκαλοι τούτων ἐπιμελοῦνται, καὶ ἐπειδὰν αὖ γράμματα μάθωσι καὶ μέλλωσι συνιέναι τὰ γεγραμμένα ὥσπερ τότε τὴν φωνήν, παρατιθέασι αὐτοῖς ἐπὶ τῶν βάθρων* *) *ἀναγιγνώσκειν ποιητῶν ἀγαθῶν ποιήματα καὶ ἐκμανθάνειν ἀναγκάζουσιν*,

---

*) *Τὰ βάθρα* h. l. non subsellia scholastica esse puto, quod censet Heindorfius: nam quomodo in subselliis carmina recitanda proponi possent? sed tabulas albas, in quibus magister versus, qui discendi erant, pueris inscribebat, quorum maxima pars haud dubie libris carebat; albas, quia ex Demosth. p. Cor. p. 313. discimus, nigro stilo, carbone opinor (*τῷ μέλανι*), inscribi solitum fuisse. Eodem quoque Demosthenis loco *τὰ βάθρα*, quae Aeschines puer spongio abstersisse dicitur, multo aptius pro tabulis eiusmodi, quae in scholis constitutae erant, quam pro subselliis accipiuntur.

ἐν οἷς πολλαὶ μὲν νουθετήσεις ἔνεισι, πολλαὶ δὲ διέξοδοι καὶ ἔπαινοι, καὶ ἐγκώμια παλαιῶν ἀνδρῶν ἀγαθῶν, ἵν᾽ ὁ παῖς ζηλῶν μιμῆται καὶ ὀρέγηται τοιοῦτος γενέσθαι· οἵ τ᾽ αὖ κιθαρισταὶ — — ἐπειδὰν κιθαρίζειν μάθωσιν, ἄλλων αὖ ποιητῶν ἀγαθῶν ποιήματα διδάσκουσι, μελοποιῶν, εἰς τὰ κιθαρίσματα ἐντείνοντες καὶ τοὺς ῥυθμούς τε καὶ τὰς ἁρμονίας ἀναγκάζουσιν οἰκειοῦσθαι ταῖς ψυχαῖς τῶν παίδων. Priusquam igitur pueri poëtarum carmina tum epica, tum melica ediscebant, publica recitatio, quae non sine interpretatione institui potuit, praecedebat. Similem autem puerorum institutionem per maximam Graeciae partem iam Peloponnesiaci belli tempore in usu fuisse, Thucydides memorabili exemplo ostendit, qui l. VII, 29. tristem casum magni litterarum ludi, qui Mycalessi, parvo Boeotiae oppido, florebat, commemorat.

Sed Athenienses iam Platonis aetate, sicut artium principatum tenebant, sic linguae quoque et litterarum primum locum sibi vindicabant. Atticam dialectum tam confidenter pro primaria et proprie graeca habebant, ut quae ab illa discreparent, *ξενικὰ* et *βάρβαρα* appellarent. Sic Plato Protag. p. 209, 18. B. Prodicum dicentem facit: *Τί οἴει λέγειν Σιμωνίδην ἄλλο ἢ ταῦτο, καὶ ὀνειδίζειν τῷ Πιττακῷ ὅτι τὰ ὀνόματα οὐκ ἠπίστατο ὀρθῶς διαιρεῖν ἅτε Λέσβιος ὢν καὶ ἐν φωνῇ βαρβάρῳ τεθραμμένος;* Praecipue autem per totum Cratylum quicquid Aeolice aut Dorice ab Atticis formis discedit, *ξενικὸν* dicitur: veluti p. 406. St. 50, 10. B. de nomine *Λητοῦς· ἴσως δὲ ὡς οἱ ξένοι καλοῦσι· πολλοὶ γὰρ Ληθὼ καλοῦσι.* p. 407. St. 52, 15. B. *Ἀθηνᾶ — ἁ θεονόα· τῷ ἄλφα ξενικῶς ἀντὶ τοῦ ἦτα χρησάμενος.* p. 401. St. 41, 2. B. *τὰ ξενικὰ ὀνόματα — οἷον ὃ ἡμεῖς οὐσίαν καλοῦμεν, εἰσὶν οἳ ἐσίαν καλοῦσιν.* p. 417. St. 73, 4. B. *ὠφελιμὸν*

ξενικὸν τοὔνομα, ᾧ καὶ Ὅμηρος πολλαχοῦ κέχρηται, τῷ ὀφέλλειν· ἔστι δὲ τοῦτο τοῦ αὔξειν καὶ ποιεῖν ἐπωνυμία. p. 419. St. 77, 9. B. 426. St. 91, 20. B. τὸ κίειν, ξενικὸν τοὔνομα. Interdum quoque insolitae alicuius formae sedes diserte memoratur: sic Protag. p. 346. St. 219, 16. Socrates de Simonide, qui aeolicum ἐπαίνημι usurpaverat, dicit: καὶ τῇ φωνῇ ἐνταῦθα κέχρηται τῇ τῶν Μιτυληναίων ὡς πρὸς Πιττακὸν λέγων. Cratyl. p. 62, 20. B. τὴν ταχεῖαν ὁρμὴν οἱ Λακεδαιμόνιοι σοῦν καλοῦσι. p. 109, 8. οἶσθα ὅτι ἐπὶ τῷ αὐτῷ ἡμεῖς μὲν φαμεν σκληρότης, Ἐρετριεῖς δὲ σκληρότηρ. Neque solum cum ceteris dialectis Attica comparatur, sed etiam antiquae et recentioris linguae discrimina a Platone accurate observantur: cuius rei, quum arcte cum grammatica coniuncta et inter ipsa eius initia posita sit, exempla apponemus. Crat. p. 398. St. 34, 10. B. δαίμονα et δαήμονα idem nomen esse dicit, καὶ ἔν γε τῇ ἀρχαίᾳ τῇ ἡμετέρᾳ φωνῇ αὐτὸ συμβαίνει τὸ ὄνομα. p. 398. St. 35, 8. B. κατὰ τὴν Ἀττικὴν τὴν παλαιὰν φωνὴν ἔρως et ἥρως inter se cohaerere dicuntur. p. 401. St. 41, 8. B. ἐοίκαμεν γὰρ καὶ ἡμεῖς τὸ παλαιὸν ἐσίαν καλεῖν τὴν οὐσίαν. p. 410. St. 59, 13. B. αἱ ὧραι Ἀττικιστὶ ὡς τὸ παλαιὸν ῥητέον — ὅραι γάρ εἰσιν. Plura de hoc discrimine τῆς νέας φωνῆς καὶ τῆς παλαιᾶς habes p. 418. St. p. 74. et 75. B. in quibus inprimis memorabile est, quod mulieres potissimum antiquas nominum formas servasse dicuntur *).

Tota haec dialectorum comparatio postmodo peculiari

---

*) P. 74, 19: οἶσθα ὅτι οἱ παλαιοὶ οἱ ἡμέτεροι τῷ ἰῶτα καὶ τῷ δέλτα εὖ μάλα ἐχρῶντο, καὶ οὐχ ἥκιστα αἱ γυναῖκες, αἵπερ μάλιστα τὴν ἀρχαίαν φωνὴν σῴζουσι.

grammaticae parte instituebatur περὶ γλωσσῶν seu λέξεων, cuius primum specimen iam Democritus dederat in libello, de quo supra diximus: περὶ Ὁμήρου ἢ ὀρθοεπείης καὶ γλωσσέων. Multi seriorum grammaticorum ab Athenaeo et Suida commemorantur, qui hunc locum tractarunt et varias γλώσσας, tam peregrina quam obsoleta vocabula collegerunt: Callimachus ἐν ἐθνικαῖς ὀνομασίαις Athen. VII. p. 329. a. Amerias Macedo ἐν ταῖς γλώσσαις. Ath. IV. p. 176. c. e. VI. p. 267. c. Nicander Thyatirenus ἐν τοῖς Ἀττικοῖς ὀνόμασι. XV. p. 678. f. Hermon ἐν Κρητικαῖς γλώσσαις. III. p. 81. f. VI. 267. c. Hermonax ἐν γλώσσαις. II. p. 53. b. idem ἐν γλώσσαις Κρητικαῖς III. p. 76. e. f. Philemo ἐν Ἀττικαῖς λέξεσι eod. l. Pamphilus ἐν γλώσσαις. II. 69. d. Clitarchus ἐν τῇ περὶ γλωσσῶν πραγματείᾳ. VI. p. 267. c. XV. p. 666. c et alii permulti. Denique Hesychii lexicon, quo nunc tanto cum fructu utimur, ex eiusmodi collectionibus congestum esse iure existimatur.

II. Poëtarum interpretatio ad certum aliquem auctorem referri non potuit: crevit ea et grammatica arte paulatim exculta est, dum aetas poëtici ingenii minus fecunda feliciorum temporum copiis alebatur. Sed ex certioribus initiis natum est rhetoricae studium, cuius cum prima grammatica cognationem iam explanatum imus. Quo consilio minime totius huius studii primordia persequemur, quod nuper docte a Spengelio factum est *), sed quasdam eius partes attingemus, quae proxime ad linguae observationem accedunt. Primum igitur *Gorgiae* rhetorica commemoranda est. Quo quum

*) Συναγωγὴ τεχνῶν sive artium scriptores ab initiis usque ad editos Aristotelis de Rhetorica libros. Stuttg. 1828.

nemo magis veritatem prae specie veritatis contempsisse videatur, quam maxime ille in artificiosis dicendi formis inveniendis elaborasse putandus est: tamen de singulis eius praeceptis et artificiis non multum compertum habemus. At discipuli eius his dictionis praestigiis praecipue capti esse dicuntur, et ipse Thucydides *ταῖς τοῦ Γοργίου παρισώσεσι καὶ ταῖς ἀντιθέσεσι* multum operae impendisse narratur. v. Marcell. Vit. Th. p. XIII. ed. Bekk. Prae omnibus autem *Antisthenem* hanc rhetoricae partem a Gorgia traditam arripuisse et excoluisse suspicor. Erat enim, Diogene L. teste l. VI, pag. 138. ed. Menag. Gorgiae auditor, et artem eius in scripta sua transtulit: qualis quae fuerit ex his quidem iudicare non possumus; sed si multa eius facete dicta, quae apud Diogenem servata sunt, perlustramus, in pluribus tam aperte lusum aliquem verborum affectatum videmus, ut de vestigiis Gorgianae artis non possit dubitari; veluti quaerenti cuidam, qualis sibi uxor ducenda esset, respondit: *ἂν μὲν καλήν, ἕξεις κοινήν, ἂν δὲ αἰσχράν, ἕξεις ποινήν.* Antisthenis erat notum illud: *κρεῖττον εἶναι εἰς κόρακας ἢ εἰς κόλακας ἐμπεσεῖν.* Eodem pertinet responsum eius, quum quis quaereret, quibus rebus ad discendum opus haberet: *βιβλιαρίου καὶ νοῦ, γραφείου καὶ νοῦ, πινακιδίου καὶ νοῦ* *). In his igitur quum manifesto artis alicuius ostentatio cernatur, hanc eum in iis libris tradidisse non immerito colligo, in quibus de rhetoricis rebus egit; dico inprimis libellum *περὶ ὀνομάτων χρήσεως* cum aliis a Diogene nominatum; in quo de origine nominum eum quaesivisse, non mihi persuasit

---

*) Fortasse Antisthenem potissimum carpit Plato Conviv. p. 185. St. 394, 6. B. *Παυσανίου δὲ παυσαμένου — διδάσκουσι γάρ με ἴσα λέγειν οὑτωσὶ οἱ σοφοί.*

summus Schleiermacherus Introd. ad Plat. Cratylum pag. 20. Neque magis grammatici argumenti fuisse credo libros Antisthenis περὶ λέξεως ἢ περὶ χαρακτήρων; in quo χαρακτῆρες idem significare videntur, quod σχήματα, quo nomine Aristoteles primus usus est *); περὶ διαλέκτου, quod nihil aliud significat quam περὶ τοῦ διαλέγεσθαι **). Itaque quum certum esse videatur, Antisthenem in nulla alia linguae disquisitione, quam rhetorica elaborasse, vix hunc a Platone in Cratylo respici potuisse puto, quod censet Ill. Schleiermacherus: sed de Cratylo infra videbimus.

Maiorem vero cum grammatica affinitatem habebat celeberrima *Prodici* ars, quam eius μουσικὴν iocose appellat Plato Protag. 340. St. 207, 3. et θείαν τινὰ σοφίαν 208, 16. quae in distinguenda similium nominum significatione versabatur. Cuius artis accuratam descriptionem Spengelius nuper dedit p. 46 — 59: nos quidem eum Platonis locum apponere iuvat, ex quo optime usus eius et abusus intelligi potest, quum ipsius Prodici sermonis exemplum exhibeat. Protag. p. 207. St. 201, 3. ὁ Πρόδικος, Καλῶς μοι, ἔφη, δοκεῖς λέγειν, ὦ Κριτία· χρὴ γὰρ τοὺς ἐν τοιοῖσδε λόγοις παραγιγνομένους κ ο ι ν ο ὺ ς μὲν εἶναι ἀμφοῖν τοῖν διαλεγομένοιν ἀκροατάς, ἴ σ ο υ ς δὲ μή. ἔστι γὰρ οὐ ταὐτόν· κοινῇ μὲν γὰρ ἀκοῦσαι δεῖ ἀμφοτέρων, μὴ ἴσον δὲ νεῖμαι ἑκατέρῳ, ἀλλὰ τῷ μὲν σοφωτέρῳ πλέον, τῷ δὲ ἀμαθεστέρῳ ἔλαττον. ἐγὼ μὲν καὶ αὐτός, ὦ Πρωταγόρα τε καὶ Σώκρατες, ἀξιῶ ὑμᾶς

---

*) V. Ammon. Herm ad Arist. Categ. p. 31. ed. Ven. ὅσα αὐτὸν τιθέντα ὀνόματα ἴσμεν, ὡς τὸ τῆς ἐντελεχείας — — ἢ τὸ τοῦ σ χ ή μ α τ ο ς ἐπὶ τῆς τοιᾶσδε τῶν προτάσεων συμπλοκῆς.

**) Hic usus vocabuli διάλεκτος reperitur in Plat. Conv. c. 23. Arist. Poët. c. 22.

συγχωρεῖν καὶ ἀλλήλοις περὶ λόγων ἀμφισβητεῖν μέν, ἐρίζειν δὲ μή. ἀμφισβητοῦσι μὲν γὰρ καὶ δι' εὔνοιαν οἱ φίλοι τοῖς φίλοις, ἐρίζουσι δὲ οἱ διάφοροί τε καὶ ἐχθροὶ ἀλλήλοις. καὶ οὕτως ἂν κάλλιστα ἡμῖν ἡ συνουσία γίγνοιτο· ὑμεῖς τε γὰρ οἱ λέγοντες μάλιστ' ἂν οὕτως ἐν ἡμῖν τοῖς ἀκούουσιν εὐδοκιμοῖτε καὶ οὐκ ἐπαινοῖσθε — εὐδοκιμεῖν μὲν γάρ ἐστι παρὰ ταῖς ψυχαῖς τῶν ἀκουόντων ἄνευ ἀπάτης, ἐπαινεῖσθαι δὲ ἐν λόγῳ πολλάκις παρὰ δόξαν ψευδομένων — ἡμεῖς τ' οὖν οἱ ἀκούοντες μάλιστ' ἂν οὕτως εὐφραινοίμεθα, οὐχ ἡδοίμεθα· εὐφραίνεσθαι μὲν γάρ ἐστι μανθάνοντά τι καὶ φρονήσεως μεταλαμβάνοντα αὐτῇ τῇ διανοίᾳ, ἥδεσθαι δὲ ἐσθίοντά τι ἢ ἄλλο ἡδὺ πάσχοντα αὐτῷ τῷ σώματι. Si hoc Prodiceae eloquentiae specimen bene expressum esse statuimus, certe fatendum est, non iniuria Platonem toties huius artis magistrum irrisisse, quamquam non negamus, nobis etiamnum ampliorem huius studii cognitionem magnae utilitatis fore: nam distinctiones ejus plerumque recte inventae esse videntur. Ceterum Prodicus artis suae synomymicae rationem scripto mandasse nusquam traditur, nec nisi scholis eam docuisse videtur *), idque non exiguo pretio: προῖκα γὰρ ἀνὴρ οὗτος οὐδένα

---

*) Plat. Charm. p. 322, 21. B. ubi Critias dicit: καὶ γὰρ Προδίκου μυρία τινὰ ἀκήκοα περὶ ὀνομάτων διαιροῦντα. Cratyl. p. 4, 12: καὶ δὴ καὶ τὸ περὶ τῶν ὀνομάτων σμικρὸν τυγχάνει ὂν μάθημα· εἰ μὲν οὖν ἐγὼ ἤδη ἀκηκόη παρὰ Προδίκου τὴν πεντακοντάδραχμον ἐπίδειξιν, ἣν ἀκούσαντι ὑπάρχει περὶ τούτο πεπαιδεῦσθαι, ὥς φησιν ἐκεῖνος, οὐδὲν ἂν ἐκώλυε σὲ αὐτίκα μάλα εἰδέναι τὴν ἀλήθειαν περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος· νῦν δὲ οὐκ ἀκήκοα, ἀλλὰ τὴν δραχμιαίαν· οὔκουν οἶδα, πῇ ποτε τὸ ἀληθὲς ἔχει περὶ τῶν τοιούτων.

διδάσκει, haud dubie non sine idonea causa dicit auctor Axiochi p. 509. Ipse artem suam περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος appellasse videtur *): nam hoc nomen tanquam notae alicuius artis Socratis aetate in usu fuisse, aperte ex Cratyl. p. 95, 6. cognoscimus, ubi Socrates sic Cratylum exhortatur: λέγε εἴ τι ἔχεις βέλτιον, ὡς ἐμοῦ ἐνδεξομένου. εἰ μέντοι ἔχεις τι σὺ κάλλιον τούτων λέγειν, οὐκ ἂν θαυμάζοιμι. δοκεῖς γάρ μοι αὐτός τε ἐσκέφθαι τὰ τοιαῦτα καὶ παρ' ἄλλων μεμαθηκέναι. ἐὰν οὖν λέγῃς τι κάλλιον, ἕνα τῶν μαθητῶν περὶ ὀρθότητος ὀνομάτων καὶ ἐμὲ γράφου. Τα ὀνόματα in hoc nomine singula verba absque structurae vinculis intelligenda sunt: quod Plato ipse Crat. pag. 96, 11. sic exprimit: ὀνόματος, φαμὲν, ὀρθότης ἐστὶν αὕτη ἥτις ἐνδείξεται οἷόν ἐστι τὸ πρᾶγμα.

Quantum assensum Prodicus novae artis magister per Graeciam et Athenis inprimis tulerit, quotque et quales viros in auditorum numero viderit, ex Platone comperimus: Critiam et ipsum Socratem eius scholis interfuisse, docent loci ex Charm. et Crat. supra adscripti: Damon, Periclis familiaris et monitor **), cum Prodico huius artis causa multum versabatur ***). Thucydidem quoque eius arti operam

---

*) V. Pl. Crat. l. modo exscripto et Euthyd. p. 405, 19: Πρῶτον γὰρ, ὥς φησι Πρόδικος, περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος μαθεῖν δεῖ.

**) Alcib. I. p. 533. Plutarch. Per. c. 4.

***) Pl. Lach. p. 291, 5. ubi Socrates de Nicia dicit, qui modo τὸ ἄφοβον et τὸ ἀνδρεῖον distinxerat: ὁ δὲ ταύτην τὴν σοφίαν παρὰ Δάμωνος τοῦ ἡμετέρου ἑταίρου παρείληφεν· ὁ δὲ Δάμων τῷ Προδίκῳ πολλὰ πλησιάζει, ὃς δὴ δοκεῖ τῶν σοφιστῶν κάλλιστα τὰ τοιαῦτα ὀνόματα διαιρεῖν.

dedisse, non solum ex aliorum testimoniis *) demonstravit Spengelius p. 53; sed etiam in libris ipsius non pauca neque dubia huius studii exempla scite collegit.

Sed ab hac verborum disquisitione et comparatione, quam Prodicus colebat, illa pars rhetoricae differebat, quae *ὀρθοέπεια* dicebatur. Eam *Protagoram* potissimum professum esse, ostendit memorabilis Platonis locus Phaedr. pag. 82, 11: *Socrat. Τὰ δὲ Πώλου πῶς φράσομεν αὖ μουσεῖα λόγων; ὅς διπλασιολογίαν καὶ γνωμολογίαν καὶ εἰκονολογίαν ὀνομάτων τε Λικυμνίων ἃ ἐκείνῳ ἐδωρήσατο πρὸς ποίησιν εὐεπείας; Phaedr. Πρωταγόρεια δὲ, ὦ Σώκρατες, οὐκ ἦν μέντοι τοιαῦτ' ἄττα; Socr. Ὀρθοέπειά γέ τις, ὦ παῖ, καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ καλά.* In quo hoc primum animadvertendum est, Phaedrum, ubi de Poli artificiis sermo erat, simulac nomen *εὐεπείας* audiverit, statim Protagorae admoneri, cuius artem deinde Socrates emendatius *ὀρθοέπειαν* dicit. Iure inde colligi posse videtur, nomina ista cum — *έπεια* composita, tanquam exteram originem prae se ferentia, Atticas aures offendisse. Iam vero quum opportune rursus Diogenis Laërtii notitia de Democriti scriptis obveniat, inter quae libellus *περὶ ὀρθοεπείας* nominatur, certius affirmare ausim, quod supra indicavimus, fuisse aliquam studiorum coniunctionem inter utrumque Abderitam: Protagoram fortasse eam artem amplificasse et per Graeciam docuisse, cuius auctor Democritus fuerit, cuique ex suo dicendi usu Ionicum nomen imposuerit. Nam *ὀρθοέπειαν* equidem non *ἀπὸ τῶν ὀρθῶν ἐπῶν* dictam esse puto, sed a prisca verbi forma *ἔπω* vel *ἐνέπω*, ut quasi *ὀρθολεξίαν* significet sive artem recte dicendi.

---

*) Schol. ad Thuc. ap. Dukerum in adnott. p. 648. b. Marcell. vit. Thuc. p. XIII.

Sed restat gravissima quaestio, quaenam huius artis ratio et natura fuerit. De Democrito praeter illius libri nomen nihil compertum habemus: plura vestigia de Protagorae studiis reperiuntur, quorum haud exiguam partem, quia certi nihil distingui potest, nos taciti Democrito vindicamus. Illud in universum statui potest, Protagorae ὀρθοέπειαν recte et accurate dicendi artem complexam esse, ita ut medium locum inter Tisiae et Gorgiae rhetoricam, qua artificia sermonis tradebantur *), et Prodici artem, quae ad singula verba spectabat, obtineret. Quod ex hac definitione suspicari licet, hanc potissimum disciplinam plurimum cum grammatica nostra coniunctionis habuisse, illud re ipsa et certis testimoniis confirmatur. Protagoras enim primus dicendi modos distinxit, de qua re Diogenes L. IX. p. 250. et Suidas s. v. Πρωταγόρας sic loquuntur: διεῖλέ τε τὸν λόγον πρῶτος εἰς τέσσαρα, εὐχωλὴν, ἐρώτησιν, ἀπόκρισιν, ἐντολήν: quibuscum consentit Quinctilianus III, 4: *Protagoram transeo, qui interrogandi, respondendi, mandandi, precandi, quod* εὐχωλὴν *dixit, partes solas putat:* et cum his locis comparandus est Aristoteles Poët. c. 21: Τῶν δὲ περὶ τὴν λέξιν — οἷον τί ἐντολὴ καὶ τί εὐχὴ καὶ διήγησις καὶ ἀπειλὴ καὶ ἐρώτησις καὶ ἀπόκρισις καὶ εἴ τι **) ἄλλο τοιοῦτον — — τί γὰρ ἄν τις ὑπολάβοι ἡμαρτῆσθαι ἃ Πρωταγόρας ἐπιτιμᾷ ὅτι εὔχεσθαι οἰόμενος ἐπιτάττει εἰπών· Μῆνιν ἄειδε θεά — τὸ γὰρ κελεῦσαί φασι ποιεῖν τι ἢ μὴ ἐπίταξίς ἐστι. His locis perpensis facile intelligitur, eas orationis partes, quas Protagoras distinxit, longe alio sensu dici, quam quo vulgo in

---

*) Pl. Phaedr. p. 267. St. 81, 15. B.

**) Non placet Spengelii lectio: καὶ εἰ ἔτι ἄλλο τοιοῦτον, quia Aristoteles vix de una aliqua et certa re cogitavit.

grammatica partes orationis nuncupamus: sed tamen haec quoque divisio arcto vinculo cum grammatica connexa est. Nam rhetorica ista divisio, quae ad Protagoram refertur, quum primarios dicendi modos bene exprimeret, haud dubie etiam ad observandos et distinguendos *verbi modos* vocabat, quos Graeci postea *ἐγκλίσεις* dicebant. Quum enim Protagoras doctrinam suam et ad iudicanda aliorum scripta et ad scribendum conferret, non potuit non animadvertere, in lingua ipsa divisionem illam certis formis esse significatam. Nam quum interrogatio et responsum indicativo modo contineantur, *τῇ εὐχωλῇ* optativus et *τῇ ἐντολῇ* imperativus proprius est. Superest coniunctivus, qui, quum non tam peculiari dicendi genere, quam plurium propositionum coniunctione nitatur, hac dividendi ratione contineri non potuit. Nos autem eo libentius in ea modorum distinguendorum fontem positam esse agnoscimus, quod sequentibus temporibus, ubi aliae grammaticae partes magis colebantur, huius observationis vestigia rarissime inveniuntur. Deinde sicut *verborum modos*, sic *nominum genera* primus distinxit Protagoras, teste ipso Aristotele Rhetor. III, 5. p. 174. ed. Buhl. *Πρωταγόρας τὰ γένη τῶν ὀνομάτων διῄρει, ἄῤῥενα καὶ θήλεα καὶ σκεύη· δεῖ γὰρ ἀποδιδόναι καὶ ταῦτα ὀρθῶς*, quocum comparandus locus de elench. sophist. I. p. 440. ed. Sylb. *σολοικισμὸς οἷον μέν ἐστι, εἴρηται καὶ πρότερον. ἔστι δὲ τοῦτο καὶ ποιεῖν καὶ μὴ ποιοῦντα φαίνεσθαι καὶ ποιοῦντα μὴ δοκεῖν, καθάπερ ὁ Πρωταγόρας ἔλεγεν· εἰ ὁ μῆνις καὶ ὁ πήληξ ἄῤῥεν ἐστί, ὁ μὲν [γὰρ] λέγων οὐλομένην σολοικίζει μὲν κατ' ἐκεῖνον, οὐ φαίνεται δὲ τοῖς ἄλλοις, ὁ δὲ οὐλόμενον φαίνεται μέν, ἀλλ' οὐ σολοικίζει.*

In his igitur Protagorae studium non solum grammaticam attigisse, sed partem ipsius constituere videmus, de qua

iterum nobis agendum erit, ubi artis initia persequemur: hoc loco monuisse satis est, quanta minutissimarum rerum diligentia *ὀρθοέπεια* illa, cuius imaginem quaerimus in legibus linguae constituendis versata sit. Sed quae nobis utilissima et maxime laudabilis cura esse videtur, eam Protagoras minime summis aetatis suae ingeniis probavit. Nam quamquam magna auditorum frequentia gaudebat et nomen ipsius Athenis insigni laude celebrabatur*), Plato tamen ubique eum ridet et cavillatur; et Aristophanes, quod optime vidit Spengelius p. 43., eum potissimum respicit notissimo loco Nubb. v. 632: *ἄγε δή, τί βούλει — — πότερα περὶ μέτρων ἢ ῥυθμῶν ἢ περὶ ἐπῶν; — τὰ ἔπη* enim, quae tertio loco Socrates Strepsiadi discenda commendat, ex ipsa Protagorae notione *τῆς ὀρθοεπείας* dicta sunt, quod dilucide demonstrat locus, qui sequitur v. 656, postquam de metris et rhythmis satis dictum est: *Socr. ἀλλ' ἕτερα δεῖ σε πρότερα τούτου μανθάνειν· τῶν τετραπόδων ἅττ' ἐστὶν ὀρθῶς ἄῤῥενα. — — ὁρᾷς ἃ πάσχεις; τήν τε θήλειαν καλεῖς ἀλεκτρυόνα κατὰ ταὐτὸ καὶ τὸν ἄῤῥενα. Str. Πῶς δή; φέρε. Socr. Πῶς; ἀλεκτρυὼν κἀλεκτρυών. Str. Νὴ τὸν Ποσειδῶ! νῦν δὲ πῶς με χρὴ καλεῖν; Socr. Ἀλεκτρύαιναν, τὸν δ' ἕτερον ἀλέκτορα.* Haec tam aperte ad Protagorae generum divisionem pertinent, ut illum h. l. traduci dubitari non possit. Et Platonem quidem in Protagoram ludibriis invectum esse, non est cur miremur: ille enim non tam eius rhetoricam reprehendit, quam universam philosophandi rationem, quae omnem certae sci-

*) Vid. Pl. Protag. p. 310. St. p. 151. B. ubi Hippocratis Protagorae audiendi cupido egregie describitur. p. 315. St. 160. B. ubi summa auditorum erga praeceptorem reverentia lepide exprimitur. Cratyl. p. 391. St. 20, 8. B.

entiae fundum subvertere conabatur. Tum autem Protagoras haud dubie inaui ostentatione sani cuiusque risum movebat. Denique quod Aristophanem inprimis ad eum irridendum incitasse puto, non erat illa aetas, qua artes omnes et poësis felicissimo ingeniorum proventu florebant, ad ea studia accommodata, quibus artis opera in partes suas dissoluta ad examen et ad iudicium vocantur. Sic igitur factum est, ut eadem studia, quae ducentis fere annis praeterlapsis prope orbem terrarum occuparent et imperium disciplinarum obtinerent, quum primum haud infaustis auspiciis nascebantur, illuderentur et reprimerentur.

Postremo loco inter sophistas et rhetores, qui aliquam artis suae cum grammatica communionem instituebant, *Hippias* nominandus est Eleus. Sed omnis nostra de ea re notitia duobus vel potius uno loco Platonis nititur in Hippia maiore, ex quo minorem quum plerisque, tum eo loco ductum et paene exscriptum esse puto, quo Hippiae grammatica opera commemoratur: Hipp. Mai. p. 285. B. St. 418, 12. *ἐκεῖνα ἃ σὺ ἀκριβέστατα ἐπίστασαι ἀνθρώπων διαιρεῖν περί τε γραμμάτων δυνάμεως καὶ συλλαβῶν καὶ ῥυθμῶν καὶ ἁρμονιῶν.* Min. p. 368. St. 210, 16: *ἐπιστήμων διαφερόντως τῶν ἄλλων καὶ περὶ ῥυθμῶν καὶ ἁρμονιῶν καὶ γραμμάτων ὀρθότητος.* Quamquam sophista ipse priore loco hanc litterarum et numerorum peritiam, quam Socrates illi tribuit, superbe fastidit, non tamen dubitandum esse videtur, quin aliquando his rebus operam dederit. Et ille quidem quum in litterarum naturam inquisivisse dicatur, metricam artem inprimis colendam sibi sumserat, quae eius temporibus maiore diligentia tractabatur, quam pro singulari huius studii subtilitate verisimile esse videatur. Sed quemadmodum graecos poëtas ab antiquissimis temporibus admirabili constantia leges

numerorum, quae ipsa linguae indole praescriptae erant, sequi videmus, ita quoque accurata et diligens huius rei perquisitio satis vetustis temporibus excitata est: quae ab observanda litterarum et syllabarum natura profecta ad difficiliora rhythmorum praecepta progrediebatur. Habemus huius studii brevem et elegantem descriptionem in Platone, qui eius tanquam notissimae et pervulgatae rei mentionem facit: Cratyl. pag. 424 St. 87, 20: *οἱ ἐπιχειροῦντες τοῖς ῥυθμοῖς τῶν στοιχείων πρῶτον τὰς δυνάμεις διείλοντο, ἔπειτα τῶν συλλαβῶν καὶ οὕτως ἤδη ἔρχονται ἐπὶ τοὺς ῥυθμοὺς σκεψόμενοι, πρότερον δ' οὔ.* Eodem loco paulo infra litterarum genera enumerantur, quemadmodum et nos ea dividimus: *τὰ φωνήεντα καὶ τὰ ἕτερα,* consonantium *τὰ ἄφωνα καὶ ἄφθογγα* (utrumque enim dicebatur: *οὑτωσὶ γάρ που λέγουσιν οἱ δεινοὶ περὶ τούτων*), deinde *τὰ φωνήεντα μὲν οὔ, οὐ μέντοι γε ἄφθογγα*, h. e. litterae liquidae; denique *τῶν φωνηέντων ὅσα διάφορα εἴδη ἔχει ἀλλήλων*, quae non nominantur, sed aperte mensurae discrimine distinguuntur. Quae deinceps de vi et indole plurium litterarum apud Platonem sequuntur, de volubilitate litterae *ρ*, de spirabilitate litterarum *φ*, *ψ*, *σ*, *ζ*, de lubrica natura litterae *λ*, omnia haec non a Platone primum inventa, sed ex huius artis arcanis petita esse existimo. Iam vero quantopere doctrina de numeris et rhythmis Aristophanis et Platonis aetate exculta fuerit, inde optime intelligitur, quod multa metricarum rerum nomina, quibus hodieque utimur, iam tum inventa et usitata erant. Legimus in Aristophanis Nubb. v. 649. de rhythmis *κατ' ἐνόπλιον* et *κατὰ δάκτυλον*; v. 640. de trimetris et tetrametris, Eqq. v. 503. et aliis locis de anapaestis et plura eiusmodi. In Platone autem de rhythmis gravissimus locus exstat de re publ. p. 400. St. 133, 15: *οἶμαι δέ με ἀκηκοέναι*

οὐ σαφῶς ἐνόπλιόν τέ τινα (ῥυθμὸν) ὀνομάζοντος αὐτοῦ ξύνθετον καὶ δάκτυλον καὶ ἡρῷόν γε, οὐκ οἶδα ὅπως διακοσμοῦντος καὶ ἴσον ἄνω καὶ κάτω τιθέντος εἰς βραχύ τε καὶ μακρὸν γιγνόμενον καὶ ὡς ἐγῷμαι ἴαμβον καί τιν' ἄλλον τροχαῖον ὠνόμαζε, μήκη δὲ καὶ βραχύτητας προσῆπτε. Inter huius artis cultores Socratis aetate ante omnes illustris erat *Damon* Periclis praeceptor et familiaris *). Quum autem haec disciplina a litteris et syllabis proficisceretur, iidem musici interdum et grammatici vocabantur. Sic *Lamprus*, qui in Plat. Alc. I. p. 118, St. 333, 21. artis musicae peritus esse dicitur, ab Aristotele Eth. Magn. II, 7. grammaticus nominatur. Denique ex diligenti hac musicae et metricae tractandae ratione, quae diu obtinuisse putanda est, illud explicatur, quod Dionysius Hal. de Comp. V. p. 154. ed. Schaef. et de Demosth. praest. p. 1101, ed. Reisk. *Aristoxenum* musicum de litterarum natura quaesivisse tradit. Ideo Aristoteles quoque Poët. c. 20. uberiorem litterarum et syllabarum disquisitionem ad metricam refert **), cuius artis nomen illo loco fortasse primum invenitur. Post hunc praeter Aristoxenum, de quo diximus, *Theophrastus* inprimis metricae operam dedisse videtur: Diogenes Laërt. l. V. p. 125. D. laudat librum eius περὶ μέτρων, quem respexit Mar. Victor. A. Gr. l. IV.

Praeter mensuram syllabarum etiam accentuum ratio et leges illa musica arte, quae arctiore sensu dicitur, ad examen vocabantur. Quamquam enim accentus nonnisi multo tempore post signis suis notari coepti sunt, tamen iustam

---

*) Plat. Alcib. I. p. 118. St. 333, 21. De re publ. l. c. ubi omnis metricarum rerum perscrutatio ad Damonem tanquam summum arbitrum reiicitur. Plutarch. Per. c. 4.

**) περὶ ὧν καθ' ἕκαστον ἐν τοῖς μετρικοῖς χρὴ θεωρεῖν.

eorum pronuntiationem et modulationem iam Platonis aetate animadversam et observatam fuisse, ex ipso cognoscimus: Sophist. p. 253. St. 205, 21: τί δαὶ περὶ τοὺς τῶν ὀξέων καὶ βαρέων φθόγγους; ἆρ' οὐχ οὕτως; ὁ μὲν τοὺς συγκεραννυμένους τε καὶ μὴ τέχνην ἔχων γιγνώσκειν μουσικός, ὁ δὲ μὴ ξυνιεὶς ἄμουσος; Cratyl. p. 399. St. 36, 13: verba Διὶ φίλος ita in nomen Δίφιλος contrahi dicuntur, εἰ τὸ ἕτερον αὐτόθεν ἰῶτα ἐξείλομεν καὶ ἀντὶ ὀξείας τῆς μέσης συλλαβῆς βαρεῖαν ἐφθεγξάμεθα.

III. Nulla grammaticae pars quam nos quidem huius artis finibus complectimur, prius et libentius a Graecis colebatur, quam etymologia, non quod certa ratione et firmis legibus hoc studium tractatum sit, sed, ut erat animus eorum mobilis et novarum semper imaginum appetens, sic in nominibus quoque praeter solitas et vulgares notiones indaganda origine et formis varie torquendis occultam quandam vim quaerebant, quae cuique tempori apta foret. Propria nomina praecipue tentabantur et ad omina captanda ex radicibus suis explicabantur. Non pauca huius studii exempla apud tragicos poëtas nobis servata sunt, quae nisi cum communi aliqua populi inclinatione congruerent, vix offensionem vitare potuisse videntur *). Sic Aeschylus Prom. v. 85. de Promethei nomine: ψευδωνύμως σε δαίμονες Προμηθέα καλοῦσιν, αὐτὸν γάρ σε δεῖ προμηθέως ὅτῳ τρόπῳ τῆσδ' ἐκκυλισθήσῃ τεχνῆς. Sept. ad Th. v. 640. de Polynice, ἐπωνύμῳ δὲ κάρτα, Πολυνείκη λέγω, τάχ' εἰσόμεσθα τἀπίσημ' ὅπῃ τελεῖ. v. 558: καὶ τὸν σὸν αὖθις πρόσμορον ἀδελφεὸν

---

*) Ut non vitarunt gravem summi Scaligeri reprehensionem, ad Varr. L. L. p. 144.

ἐξυπτιάζων στόμα Πολυνείκους βίαν, δίς τ' ἐν τελευτῇ τοὔνομ' ἐνδατούμενος καλεῖ. Huc quoque illud trahendum, quod in Persis v. 762. Artaphernes Persa *Ἀρταφρένης* vocatur haud dubie cum respectu *τῶν ἀρτίων φρενῶν.* Sophocles nobilissimo loco Aiacem dicentem facit (Aiac. v. 415): *Αἶ, αἶ, τίς ἄν ποτ' ᾤεθ' ὧδ' ἐπώνυμον τοὐμὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς; νῦν γὰρ πάρεστι καὶ δὶς αἰάζειν ἐμοὶ καὶ τρίς.* Euripidem Andromachae etymon posuisse testatur Varro L. L. l. VII. (VI) p. 359. ed. Speng. *Apud Ennium „Andromachae nomen qui indidit, recte indidit" item „Quapropter Parim pastores nunc Alexandrum vocant" imitari dum voluit Euripidem et ponere etymon, est lapsus: nam Euripides quod Graeca posuit, ἔτυμα sunt aperta. Ille ait ideo nomen additum Andromachae, quod ἀνδρὶ μάχεται: hoc Ennii quis potest intelligere?*

Sed lusus isti potius poëtarum, quam seria veritatis studia ampliorem exspatiandi campum nacti sunt, quum philosophi gravem de linguarum origine quaestionem agitare coeperunt. Quo tempore primum hoc factum sit quave veterum philosophorum schola, vix certo definiri potest: sed ante Platonis aetatem contrarias de ea re sententias prolatas et excultas esse, ex ipso satis apparet, quem in lite dirimenda haud mediocri studio occupatum esse videmus. Haec erat summa quaestionis, utrum rerum denominationes hominum arbitrio inventae, an naturae necessitate impositae et quasi innatae essent. Erant, qui utramque sententiam acriter defenderent, et, quod fieri necesse erat, si alterutram rationem sine ullo exceptionum temperamento persequerentur, in ridiculos et absurdos errores deveherentur: nam qui naturam unicam linguae matrem esse volebant, nomen esse, quod rei imaginem in se contineret, dicebant, reliqua omnia non solum falsa

esse, sed omnino ne nomina quidem appellanda *): contra qui hominum consensum et usum solum hominum fontem esse statuebant, quidvis licere in ponendis et mutandis verbis volebant, quia nullo interno nexu cum rerum natura cohaererent **). Ingenti huic sententiarum discrepantiae Plato intervenit, cui et ipsi lingua, tanquam dialecticae instrumentum, nova et accurata disquisitione dignissima esse videbatur. Restat nobis illustre huius studii monumentum, Cratylus, de cuius dialogi consilio ante Schleiermacherum a multis perperam iudicatum est. Nam vera Platonis sententia tantopere facetae aliorum ludificationi implicita est, ut non sine attenta observatione lusus a veritate discerni possit. Quum neutra illarum explicandi rationum probari posset, altera tamen, quae natura nitebatur, gravior erat et dignior, quae accurata disceptatione refelleretur. Cuius quum praecipuus error in eo positus sit, quod, dum singulorum hominum arbitrium in nominum inventione naturali quadam necessitate tollere conatur, aliud tamen non minus incertum arbitrium substituit, quia, quam cogitandi rationem in exprimendis re-

---

*) Cfr. de hac Cratyli opinione Pl. Crat. p. 432. St. 103, 20. B. ὅταν ταῦτα τὰ γράμματα — τοῖς ὀνόμασιν ἀποδιδῶμεν τῇ γραμματικῇ τέχνῃ, ἐάν τι ἀφέλωμεν ἢ προσθῶμεν ἢ μεταθῶμέν τι, οὐ γέγραπται μὲν ἡμῖν τὸ ὄνομα, οὐ μέντοι ὀρθῶς, ἀλλὰ τὸ παράπαν οὐδὲ γέγραπται, ἀλλ' εὐθὺς ἕτερόν ἐστιν, ἐάν τι τούτων πάθῃ. v. p. 433. St. 107, 3. p. 429. St. 97, 19. sqq.

**) Haec est Hermogenis sententia: v. Crat. p. 384. St. 5, 9: ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ ὅ τι ἄν τίς τῳ θῆται ὄνομα, τοῦτο εἶναι καὶ τὸ ὀρθόν· καὶ ἂν αὖθίς γε ἕτερον μεταθῆται, ἐκεῖνο δὲ μηκέτι καλῇ, οὐδὲν ἧττον τὸ ὕστερον ὀρθῶς ἔχειν τοῦ προτέρου κειμένου, ὥσπερ τοῖς οἰκέταις ἡμεῖς μετατιθέμεθα.

rum imaginibus primi linguae conditores sequuti sint, incompertum manet: Plato ipse quasi naturalem nominum originem veram esse ratus, primum multis exemplis ex Heraclitea de aeterno rerum fluxu sententia nomina explicat; mox *) eadem non minus speciose ad contrarias origines refert, quasi Eleatarum placita de quietis et status praestantia in linguae principiis regnaverint. Multa quidem in his prolixius nobis exposita, et nimium fortasse operae in refutandis vanis commentis impensum esse videatur; sed aliquantum huius quaestionis novitati condonandum est, et in aliis Plato aperte ingenii lusu delectatur, quum Heraclitea praesertim explicandi ratio multa festive et lepide inventa excitaret. Sed nihil eorum tanquam ipsius sententia Platoni imputandum est: tam aperte per totam illam disputationem ludit et ridet, ut nos quoque potius ad ridendum cum ipso, quam severe expostulandum invitet. Neque vera eius sententia, si modo recte attendamus, nos fugere potest, quamvis saepe risu tegatur. Primum igitur illud praecipiebat, ut in quaerenda nominum origine, a compositis verbis quam altissime fieri posset, ad simplicia descenderetur **), ne, quod et ipse ludens in He-

*) v. Crat. pag. 437. St. 114, 16. B.

**) Cfr. inprimis pag. 421. St. 82, 10. seqq: *πότε οὖν ἀπειπὼν ὁ ἀπαγορεύων δικαίως παύοιτ' ἄν; ἆρ' οὐκ ἐπειδὰν ἐπ' ἐκείνοις γένηται τοῖς ὀνόμασιν, ἃ ὡσπερεὶ στοιχεῖα τῶν ἄλλων ἐστὶ καὶ λόγων καὶ ὀνομάτων, κ. τ. λ.* Nomina simplicia a Platone *τὰ πρῶτα* s. *πρότερα ὀνόματα* vocantur, composita et derivata *τὰ ὕστερα*: v. p. 422. St. 84, 2. B: *Τοῦτο (τὴν ὀρθότητα) μὲν ἄρα οὐδὲν ἧττον καὶ τὰ πρῶτα δεῖ ἔχειν καὶ τὰ ὕστερα, εἴπερ ὀνόματα ἔσται. — Πάνυ γε. — Ἀλλὰ δὴ τὰ μὲν ὕστερα, ὡς ἔοικε, διὰ τῶν προτέρων οἷά τε ἦν τοῦτο ἀπεργάζεσθαι.* V. 89, 11. 90, 22. 91, 7.

racliteis etymologiis saepe fecerat, quodque hodie non raro cum veritatis detrimento fieri videmus, soni similitudo alio deducat, quam ubi vera principia iacent. De primis autem nominibus quid statuendum esset, non audaci aliqua opinione pronuntiari posse, nemo melius sentiebat quam Plato. Fuisse quandam singularum litterarum vim in primitivis nominibus, eamque haud raro investigari et ostendi posse, facile agnoscit: nihil verius et acutius esse potest, quam quae de plurium litterarum natura pag. 426 et 427. St. 91—93. B. disseruntur. Sed multum abest, ut ex litterarum proprietate omnia verba explicari posse opinetur. Non enim oblitus erat, in vetustis rebus multa diuturno usu ita atteri et oblitterari, ut primae formae non amplius cognosci possint; multa aliunde illata esse, quorum fontes nemo coniectura indagari valeat, multa denique extra omnes historiae et divinationis fines posita esse, quae cum ipsa humani generis origine tam arcte cohaereant, ut ea investigare prope nefas sit. Tria haec, quae perfectae etymologiae disciplinae obstant et semper obstabunt, paucis verbis a Platone et ita exposita sunt, ut dubitari possit, an satis graves ipse has difficultates iudicaverit. Comparat enim regressum ad Deum humani generis auctorem et linguae inventorem cum tragicorum artificio, qui deo in scenam producto nodum fabulae rescindant, et omnes eiusmodi quaestionis declinationes callide inventas esse dicit, ne quis certam rationem reddere cogatur. ,,Quomodo autem, inquit, qui primitiva nomina derivare nesciat, composita recte explanare poterit, quod tamen eius officium est, qui harum rerum se peritum esse profiteatur *)?" At Plato,

*) V. pag. 425. St. 90, 8. *Γελοῖα μὲν οἶμαι φανεῖσθαι, ὦ Ἑρμόγενες, γράμμασι καὶ συλλαβαῖς τὰ πράγματα μεμιμημένα*

ipse eam linguae peritiam, quae omnia solvenda susciperet, minime affectabat, sed angustos terminos scientiae nostrae de ea re constitutos esse ubique fatetur, ubi verum animi sensum proponit. Manent igitur et valent, si recte Platonis mentem percipimus, tres illae imperfectae etymologiae causae, quas ridens abiicere videbatur: sancta numinis manus, cuius quantae sint in linguis inveniendis partes, mortalis nemo definire audebit, alienorum elementorum accessio, quae nulla arte discerni possunt, denique vis vetustatis, quae quantum immutaverit vix dici potest. Hanc temperatam sententiam de linguae origine deque nostra eius rei cognitione inprimis eo loco enuntiat, quem statim subiungimus. Quum enim in numerorum nominibus luculentum proposuisset exemplum, quantopere, si solam litterarum vim et naturam in verborum sensu requirimus, saepe omni externa rerum imagine, quae depingi possit, deseramur, his verbis pergit: pag. 435. St. III, 10. B: *Ἐμοὶ μὲν οὖν καὶ αὐτῷ ἀρέσκει μὲν κατὰ τὸ δυνατὸν ὅμοια εἶναι τὰ ὀνόματα τοῖς πράγμασιν· ἀλλὰ μὴ ὡς ἀληθῶς, τὸ τοῦ Ἑρμογένους, γλίσχρα ᾖ ἡ ὁλκὴ αὕτη*

καταδηλα γιγνόμενα· ὅμως δὲ ἀνάγκη. οὐ γὰρ ἔχομεν τούτου βέλτιον εἰς ὅ τι ἐπανενέγκωμεν περὶ ἀληθείας τῶν πρώτων ὀνομάτων, εἰ μὴ ἄρα δή, ὥσπερ οἱ τραγῳδοποιοί, ἐπειδάν τι ἀπορῶσιν, ἐπὶ τὰς μηχανὰς καταφεύγουσι θεοὺς αἴροντες, καὶ ἡμεῖς οὕτως εἰπόντες ἀπαλλαγῶμεν, ὅτι τὰ πρῶτα ὀνόματα οἱ θεοὶ ἔθεσαν, καὶ διὰ ταῦτα ὀρθῶς ἔχει. ἆρα καὶ ἡμῖν κράτιστος οὗτος τῶν λόγων; ἢ ἐκεῖνος, ὅτι βάρβαροι; ἢ ὅτι ὑπὸ παλαιότητος ἀδύνατον αὐτὰ ἐπισκέψασθαι, ὥσπερ καὶ τὰ βαρβαρικά; αὗται γὰρ ἂν πᾶσαι ἐκδύσεις εἶεν καὶ μάλα κομψαὶ τῷ μὴ ἐθέλοντι λόγον διδόναι περὶ τῶν πρώτων ὀνομάτων ὡς ὀρθῶς κεῖται.

τῆς ὁμοιότητος, ἀναγκαῖον δὲ ᾗ καὶ τῷ φορτικῷ τούτῳ προσχρῆσθαι, τῇ ξυνθήκῃ, εἰς ὀνομάτων ὀρθότητα.

Sic igitur a Platone egregie disceptatio illa diremta esse videbatur: post illum si cui ad eandem quaestionem reverti placuerit, credas potius eum caute et prudenter perscrutandis singulorum nominum originibus operam daturum fuisse, quam denuo litem illam moturum. Sed nondum quievit certamen. Megaricos inprimis philosophos, qui hac quoque in re eristicorum nomine non indigni videntur, veterem quaestionem rursus agitasse, ex Ammonio Hermia cognoscimus, qui in commentariis haud indoctis ad Aristotelis librum de interpretatione pag. 31—33. totius disputationis initium et progressum persequutus est. Diversae sententiae, quas Plato sapienter inter se conciliaverat, rursus divulsae et ridicule defensae sunt. Nam Diodorus dialecticus sonos et voces nihil significare, et nomen quodque nihil aliud indicare contendit, quam de quo plures convenerint: licere igitur, si placeat, quovis tempore omnia nomina immutare: quin etiam idem argumentum, quod Plato Hermogenem eiusdem sententiae in Cratylo propugnatorem, modeste verbis proferentem inducit *): quod servorum nomina pro lubitu mutemus; ille facto confirmare decrevit servis suis particularum nomina imponendo: unum conclusivae nomine *Ἀλλὰ μὴν* appellabat, alios aliis **): sic consensum et usum in lingua omnia valere planum fecisse sibi videbatur homo gravissimus. Non meliores nacta est de-

*) P. 384. St. 5, 13: *ὥσπερ τοῖς οἰκέταις ἡμεῖς μετατιθέμεθα.*

**) Amm. pag. 32: *δῆλον ὡς οὐκ ἀναδεξάμεθα τὸν διαλεκτικὸν Διόδωρον πᾶσαν οἰόμενον φωνὴν σημαντικὴν εἶναι καὶ πρὸς πίστιν τούτου καλέσαντα τῶν ἑαυτοῦ τινὰ οἰκετῶν τῷ συλλογιστικῷ συνδέσμῳ ἀλλὰ μὴν, καὶ ἄλλον ἄλλῳ συνδέσμῳ.*

fensores contraria causa: qui isti fuerint, dici non potest, quia nomen apud Ammonium misere corruptum est; quales fuerint, praecipuum, quo utebantur, argumentum, satis ostendit. Nam quo demonstrarent, natura omnibus verbis vim suam inesse, quaerebant, quanam alia ratione Dii, quibuscum nihil nobis de linguae nostrae significatione convenerit, preces nostras percipere possent *).

Aristoteles quidem nusquam, quantum scimus, peculiari disputatione de Cratylea quaestione egit: sed sapientissimus ille Graecorum, »quo nemo minus fictas quaerere origines cupiebat«, inter contrarias linguae explicandae rationes necessario eam magis respuebat, quae in ipsa natura finem et fontem se invenisse gloriabatur. Quare haud dubitanter eam condemnat et gravi iudicio pronuntiat: *ὅτι φύσει τῶν ὀνομάτων οὐδέν ἐστιν, ἀλλ' ὅταν γένηται σύμβολον* (de Intpr. cap. 2.) Neque sane negari potest, si maxime naturae vim in eligendis nominum sonis valere dicas, plurimum in conformatione et terminatione vocabulorum constituenda liberae alicuius voluntati, sive fortuitum casum malis, esse permissum. Quod nisi statuamus, multa in diversis linguis non tantum similia, sed plane eadem esse oporteret. At consensus illius, quem *συνθήκην* et *σύμβολον* dixit, rationem describere non erat Aristotelis: quamvis nomen ipsum verum aliquem conventum ad deliberandum institutum indicare videatur, nemo ab eiusmodi cogitatione magis abhorrebat. Nam qui de hominum

---

*) V. Ammon. H. eod. l.: *ἕτεροι τὸ θέσει τῶν ὀνομάτων ἐξορίζειν ἐπιχειροῦσιν, ὥσπερ ὁ πατραῖος δοὺς Ἄρειος* (sic), *τὰς εὐχὰς ἡμῖν καὶ τὰς ἀρὰς παραφέροντες — τῆς συνθήκης ἀνθρώπων δὲ πρὸς θεοὺς οὐδὲ μέχρις ἐπινοίας ὑφίστασθαι δυναμένης.*

vita, antequam instituta civilia vigerent, nullam imaginem sibi informare animum inducebat, idem certe nullum hominum statum cogitare sustinebat, quo ratione praediti, sed lingua destituti fuissent. Qui linguarum origines explicandas sibi sumunt, explicent iidem humanae rationis initia: nobis quidem lingua et ratio non divelli posse videntur.

Perlustravimus igitur varia studiorum genera, quae in tractanda lingua posita cum grammatica cohaerent nec tamen eam constituunt. Nam quum summum grammaticae munus in eo cernatur, ut cogitandi et dicendi leges inter se comparentur et internus earum nexus ostendatur, omnes, quos modo descripsimus, rhetorum et philosophorum conatus, si Protagorae inchoatam modorum divisionem excipias, externam potius linguae formam spectant et observant. Perfectae grammaticae ratio in eo posita est, ut disceptatio a minimis linguae partibus, ab ipsis elementis profecta, omnes verborum conversiones continuo ordine exploret, nec nisi in difficillimae cuiusque structurae explicatione consistat. At illa studiorum initia nondum ad certum consilium conversa quasi vagantia circa veritatis lucem errant, et dum parva et magna quaeque tentant, nihil habent quo coniunctis viribus et recta via tendant. Modo litterarum vis et natura indagatur, modo verborum significationes inter se comparantur, nunc ad aptissimas dictionum formas attollitur quaestio, nunc ad ipsam linguae originem delabitur: sed ratio desideratur, quae ex singulis eiusmodi studiorum partibus unum et aequabile grammaticae aedificium exstruat. Quamquam Plato summam ideam, qua omne linguae studium continetur et absolvitur, animo

suo conceperat, et in Cratylo saepius professus est *), linguam esse rerum imaginem, nobisque ad veram eius intelligentiam constantem et internum imaginis cum rebus rerumque cogitatione consensum esse quaerendum: nusquam tamen viam ab ipso indicatam persequitur, neque ullo loco ad eam linguae proprietatem diligentius attendit, in qua potissimum cogitandi et dicendi nexus cernitur, ad internam eius structuram ipsis humanae rationis legibus accommodatam. Atqui quid gravius esse potest ad Cratyleam quaestionem solvendam? Si quis naturali sonorum significationi non tantum tribuat, ut fortuitam linguae originem repudiet, num etiam si internam, ut ita dicam, eius formam, grammaticum eius habitum adspexerit et satis perpenderit, tantum artificium casui deberi credet? Sed eiusmodi ratio linguam tractandi et percipiendi nondum excitata erat: a diversis partibus et variis viis aditus ad linguae intelligentiam parabatur; sed dum summa et intima rhetoricis et sophisticis studiis tentabantur potius quam cognoscebantur, media regio, in qua utraque rationis vinculo connectuntur et vera linguae natura perspicitur, prope inculta iacebat. Nos autem ut propositum nostrum sequamur, pauca et rara nascentis grammaticae vestigia quaeremus, et quantum fieri poterit, ab ipsis initiis usque ad elaboratam linguae scientiam ascendemus.

---

*) Crat. p. 422. St. 83, 20: Ἀλλὰ μὴν ὥν γε νῦν διεληλύθαμεν τῶν ὀνομάτων ἡ ὀρθότης τοιαύτη τις ἐβούλετο εἶναι, οἷα δηλοῦν οἷον ἕκαστόν ἐστι τῶν ὄντων. 96, 12. ὀρθότης ὀνόματός ἐστιν αὕτη ἥτις ἐνδείξεται οἷόν ἐστι τὸ πρᾶγμα. 89, 3. καὶ πάλιν ἐκ τῶν ὀνομάτων καὶ ῥημάτων μέγα ἤδη τι καὶ καλὸν συστήσομεν, ὥσπερ ἐκεῖ τὸ ζῶον τῇ γραφικῇ, ἐνταῦθα τὸν λόγον τῇ ὀνομαστικῇ ἢ ῥητορικῇ ἢ ἥτις ἐστὶν ἡ τέχνη.

Quum primum mens humana a florenti linguae usu ad naturam eius contemplandam converteret, in vasta illa mole, quae ante oculos posita erat, ordo quidam erat requirendus. Primus igitur grammaticae gradus in disponenda et digerenda verborum congerie ponebatur, quae, dum perpetuo orationis flumine aures obruebat, vix ullam certae rationis imaginem praebebat. Quare divisio sermonis partium grammaticae principium dicenda est. Neque illa primo statim periculo facto absoluta est: sed ex progressu eius iure crescentem artis culturam metimur, quia quo distinctius orationis partes inter se discernuntur, eo magis linguae scientiam fines regni sui cognoscere et facilius administrare apparet. Plato antiquissima nobis huius partitionis vestigia servavit: neque aliunde accepta illum tradere, sed ipsum primum orationis partes distinxisse, demonstrare conabimur. Sed primum memorabilis locus, ex quo tota quaestio pendet, apponendus est: legitur ille in Sophist. pag. 261. St. 228, 1: Ἔστι γάρ ἡμῖν που τῶν τῇ φωνῇ περὶ τὴν οὐσίαν δηλωμάτων διττὸν γένος; — *Theaet.* *Πῶς;* — *Hosp.* *Τὸ μὲν ὀνόματα, τὸ δὲ ῥήματα κληθέν.* *Th.* *Εἰπὲ ἑκάτερον.* *H.* *Τὸ μὲν ἐπὶ ταῖς πράξεσιν ὂν δήλωμα ῥῆμά που λέγομεν.* *Th.* *Ναί.* *H.* *Τὸ δέ γ' ἐπ' αὐτοῖς τοῖς ἐκεῖνα πράττουσι σημεῖον τῆς φωνῆς ἐπιτεθὲν ὄνομα.* *Th.* *Κομιδῇ μὲν οὖν.* Sic igitur primaria duo verborum genera, in quibus quasi vita orationis posita est, felici acumine ex ingenti linguae ambitu seiuncta et prolata videmus: manent etiamnum in hodierna grammatica nomina, quibus a Platone appellabantur, *ὀνόματα καὶ ῥήματα*, parum apte a Romanis *nomina* et *verba* dicta. Sed quaeritur et iampridem quaesitum est, utrum illa verborum et nominum divisione Plato universae linguae fines complexus esse sibi visus sit, an ceteras orationis partes haud sibi incompertas disponere vel enu-

merare supersederit. Egit de ea re peculiari libello Plutarchus in nona quaestione Platonica p. 1019. ed. Xylandr., in quo quamquam nonnulla parum critice conturbat, non male tamen Platonis sententiam exponit. Illud quidem nescio serione an iocans proferat, Homerum ipsum perfectam verborum divisionem cognitam habuisse et iuvenili quadam petulantia (*νεανιευσάμενον*) omnes orationis partes in unum versum congessisse: *αὐτὸς ἰὼν κλισίηνδε τὸ σὸν γέρας ὄφρ' εὖ εἰδῇς* (Il. α', 185.): aut illud, quod eundem Homerum nominis et verbi in dicendo principatum versu illo saepe repetito indicasse dicit: *ἔπος τ' ἔφατ' ἔκ τ' ὀνόμαζεν*. Sed hoc bene ostendit Plutarchus, Platonem non tanquam unicas, sed tanquam praecipuas orationis partes illa duo verborum genera protulisse, quia in his omnis dicendi vis et nervus contineatur, reliqua, ut in navibus clavi et bitumen, non tam partes, quam iuncturae sermonis dicenda sint. Quamquam, ut hoc intelligamus, non Plutarcho nobis interprete opus est: Plato ipse hanc sententiam dilucide pronuntiat. Non enim nomina et verba solas orationis partes esse dixit, sed duplex genus *τῶν τῇ φωνῇ περὶ τὴν οὐσίαν δηλωμάτων*: egregie: nam ceterae omnes sermonis partes rationes rerum designant: res ipsas illae unice declarant, sive res dicas ea, quae sunt, sive ea quae fiunt *).

---

*) Restat in Plutarchi loco, de quo egimus, dubitatio quaedam, an revera hunc Sophistae locum, quem nos tractamus ante oculos habuerit. Sane equidem nihil affirmare ausim: nam si Plutarchum ipsa Platonis verba retulisse statuamus, inprimis haec, quae tanquam Platonica affert: *ἐκ τούτων κεράννυσθαι τὸν λόγον*, certe nostrum locum non respexit, in quo illa non leguntur. Sed si eum Platonis verba paulum immutasse concedas: et reliqua omnia in nostro loco reperiuntur,

Diximus, nobis quidem Platonem ipsum huius distinctionis inventorem esse videri. Quod quo iure existimemus, nunc docendum est. Primum in illo Sophistae loco, quem supra descripsimus, eo modo hoc argumentum proponitur et tractatur, ut novum et insolitum esse appareat. Theaetetus enim, quem tamen neque in hoc dialogo neque in eo, qui nomine eius inscriptus est, Plato litterarum rudem nobis induxit, hanc dividendi rationem aperte ignorat, neque prius hospitis sensum percipit, quam nominum et verborum definitiones ediderit. Sed quod gravius etiam argumentum erit, in aliis Platonis locis hunc ipsum grammaticum dicendi usum *τῶν ὀνομάτων καὶ ῥημάτων* nascentem necdum perfectum et constitutum fuisse demonstrari potest, ita ut in Sophista, quemadmodum iure serioribus Platonis scriptis a criticis accensetur, primum firma harum denominationum consuetudo appareat. Hoc quidem vix ullo argumento egere videtur, τὸ ῥῆμα apud Platonem et apud Graecos cuiusvis aevi scriptores dictionem quamcunque, quamvis exiguam sententiam significare: habes huius usus idonea exempla in Protag. pag. 352 St. 212, 7. ἐνέβαλε ῥῆμα ἄξιον λόγου βραχύ. 212, 20. 213, 10. Cratyl. p. 421. St. 81, 1. Sed si reliqua Cratyli loca, in quibus τὸ ῥῆμα legitur, perlustramus et inter se comparamus, novam eius significationem nasci et oboriri animadvertimus. Saepius enim τὸ ῥῆμα opponitur τῷ ὀνόματι ita ut secundum originem suam illud *quod dicitur de aliqua re* significet, ut ὄνομα subiecti, quod grammatici dicunt, ῥῆμα praedicati enuntia-

---

et eorum, quae enotavimus, fundus haec Platonis verba habenda sunt. p. 227, 5: οὐδεμίαν — πρᾶξιν οὐδ' ἀπραξίαν οὐδὲ οὐσίαν δηλοῖ τὰ φωνηθέντα, πρὶν ἄν τις τοῖς ὀνόμασι τὰ ῥήματα κεράσῃ.

tionem contineat: ὄνομα igitur est quicquid nomine suo propriam naturam indicat, ῥῆμα, quod qualicunque enuntiato ad nominis descriptionem facit. Hoc discrimen exemplis illustrabimus: Crat. p. 399. St. 36, 8: *Πρῶτον τὸ τοιόνδε δεῖ ἐννοῆσαι περὶ ὀνομάτων, ὅτι πολλάκις ἐπεμβάλλομεν γράμματα, τὰ δ' ἐξαιροῦμεν παρ' ὃ βουλόμεθα ὀνομάζοντες καὶ τὰς ὀξύτητας μεταβάλλομεν· οἷον Διὶ φίλος· τοῦτο ἵνα ἀντὶ ῥήματος ὄνομα ὑμῖν γένηται τό τε ἕτερον αὐτόθεν ἰῶτα ἐξείλομεν καὶ ἀντὶ ὀξείας τῆς μέσης συλλαβῆς βαρεῖαν ἐφθεγξάμεθα* (ita ut *Δίφιλος* inde evadat): et paulo post p. 36, 18. similiter nomen *ἄνθρωπος*, quod *ἐκ τοῦ ἀναθρεῖν ὃ ὄπωπεν* factum esse dicit, *ἐκ ῥήματος ὄνομα γεγονέναι* ostendit. Utroque loco igitur *τὸ ῥῆμα* non tam illud est, quod nos grammatice *verbum* dicimus, quam aliquis verborum complexus, quo actio quaedam sive positio quasi in ipso decursu, non tanquam perfecta effertur. Ex eadem significatione hic quoque locus explicandus est, pag. 421. St. 82, 8: *εἴ τις ἀεὶ δι' ὧν ἂν λέγηται τοὔνομα, ἐκεῖνα ἀνερήσεται τὰ ῥήματα καὶ αὖθις αὖ δι' ὧν ἂν τὰ ῥήματα λεχθῇ ἐκεῖνα πεύσεται καὶ τοῦτο μὴ παύσεται ποιῶν, ἆρ' οὐκ ἀνάγκη τελευτῶντα ἀπειπεῖν τὸν ἀποκρινόμενον;* Nam si nomen aliquod definiendo dissolvas, ad eius actionem describendam necessario converteris, quod quum facias, exsistit ipsum illud, quod *ῥῆμα* dicitur: *ῥῆμα* autem si in partes suas diffindas, in uno aut pluribus nominibus acquiescit disquisitio. Itaque nomina firmam et stabilem linguae partem constituunt, *τὰ ῥήματα* mobilem et fluxam: utraque coniuncta orationem efficere dicuntur Cratyl. p. 425. St. 89, 2: *ἐκ τῶν ὀνομάτων καὶ ῥημάτων μέγα ἤδη τι καὶ καλὸν καὶ ὅλον συστήσομεν ὥσπερ ἐκεῖ τὸ ζῶον τῇ γραφικῇ, ἐνταῦθα τὸν λόγον*, et p. 431. St. 102, 8: *λόγοι — ἡ τῶν ῥημάτων καὶ ὀνομάτων ξύνθεσίς ἐστιν.* In

hoc dicendi usu quum nomina non ultra eos fines excedant, quibus hodierna grammatica circumscribuntur, τὰ ῥήματα ceteras omnes orationis partes complectuntur, quippe quarum nulla non ad explicandam nominum actionem adhibeatur.

Hic erat primus sanae linguae observationis fructus: secundus ab illo gradus ad discernendas partes τοῦ ῥήματος ducebat: quem in Cratylo nondum factum, in Sophista absolutum esse vidimus. Hoc enim Platonem, quum accuratius attenderet, fugere non potuit, in enuntiatis, quae ῥήματα dixerat, ea quae nunc verba dicimus primum locum obtinere, quo reliqua omnia tanquam ad ducem suum referantur. Verbis enim unice vita dictionis continetur, quae ceteris orationis partibus sustentatur et ornatur: inde non sine idonea causa ῥήματος nomen ad praecipuam partem veteris ῥήματος transiit. Hanc igitur significationem in Sophista usurpatam invenimus, et apta definitione explanatam et manifestis exemplis illustratam: iam enim τὸ ῥῆμα dicitur τὸ ἐπὶ ταῖς πράξεσιν ὂν δήλωμα, quod rectissime se habet, si πρᾶξιν etiam statum quemcumque significare memineris: mox (p. 226, 20.) in continua ῥημάτων compositione nihil nisi verba grammatice sic dicta leguntur: βαδίζει τρέχει καθεύδει: denique prima et simplex nominis et verbi coniunctio haec esse dicitur: ἄνθρωπος μανθάνει.

Postquam autem primariae duae orationis partes *) quasi in sermonis flumine interceptae et distinctae erant, nulla ulterioris divisionis vestigia apud Platonem deprehendimus. Quod quamvis excusetur, quia nullus dialecticae usus reliquarum partium distinctionem postulabat, frustra tamen Plutarchus evincere conatur, Platonem linguam non aliter dispo-

*) Quas Apollonius de constr. I, 3. p. 19, a. Bkk. bene τὰ ἐμψυχότατα μέρη τοῦ λόγου appellat.

nere potuisse, neque ullas alias orationis partes praeter nomen et verba dicendas esse *). Melius Ammonius Hermias ad Arist. de Intpr. pag. 12. τὸν λόγον, cuius partes sint nomen et verbum, ἀπὸ τῆς λέξεως secernit, in quam alia omnia vocabula cadant, ipsum Platonem secutus **), qui τὸν λόγον orationis argumentum et sensum, τὴν λέξιν externam dicendi formam dicebat, sive ut Ammonii verbis utar, λόγον τὴν διάνοιαν, λέξιν τὴν ἀγγελίαν. Nam hoc discrimine admisso, quod tamen in singulis exemplis vix observari potest, reliquas praeter nomen et verbum orationis partes omnino τῆς λέξεως potius quam τοῦ λόγου μέρη dicenda esse apparet. Eandem fere sententiam Apollonius de Constr. pag. 9. sic expressit, ut praecipuas orationis partes, quibus etiam pronomina et adverbia adnumeravit, cum vocalibus litteris compararet, quae per se nullo fultae adminiculo starent et dictionis quasi regnum occuparent, reliquas cum consonantibus, quae nonnisi coniunctae cum ceteris pronuntiari possent.

Ceterum ille dicendi usus, qui a Platone primum institutus postea in grammatica obtinuit, ut ὀνόματα et ῥήματα ex latiore et indefinita significatione ad arctiorem grammaticae sensum, quo nunc ea usurpamus, transirent, non omnibus placuisse videtur. Plutarchus enim Qu. Plat. IX. init. *dialecticos* nomen πτῶσιν et verbum κατηγόρημα appellasse narrat. Dubitari possit, quinam cogitandi sint dialectici isti, quum et Stoïcos et Megaricos hoc nomine insignitos invenia-

---

*) Qu. Pl. IX. fin. Μέρος λόγου καὶ στοιχεῖον οὐδέν ἐστι πλὴν, ὥσπερ εἴρηται, τὸ ῥῆμα καὶ ὄνομα.

**) De re publ. III. p. 392. St. 118, 20: τὰ μὲν δὴ λόγων πέρι ἐχέτω· τὸ δὲ λέξεως, ὡς ἐγῷμαι μετὰ τοῦτο σκεπτέον, καὶ ἡμῖν ἅ τε λεκτέον καὶ ὡς λεκτέον παντελῶς ἐσκέψεται.

mus, nisi eadem res paulo disertius ab aliis testibus de Stoicis traderetur. Nam Apollonius de Constr. pag. 31. Bkk. infinitivum quidem verborum *ῥῆμα* eos dixisse testatur, sed tempus et modum definitum et certa persona expressum *κατηγόρημα* vel *σύμβαμα* *). Apparet igitur, eos non satis habuisse, illam orationis partem, ex qua potissimum sententiarum color pendeat, incerto nomine dici, quo alia multa possent intelligi, sed ex dialectica sua ratione aptiorem denominationem quaesivisse, quae verbi naturam exprimeret; itaque ubi distincta verbi forma iudicium aliquod pronuntiabatur, verbum ipsum praedicatum (*κατηγόρημα*) appellabant; quod idem *σύμβαμα* quoque significat. De *ὀνόματος* autem nomine, quod *πτῶσιν* Stoici fecisse dicuntur, fuisse inter hos et Peripateticos controversiam quandam, discimus ex Ammonio Herm. ad Arist. de Intpr. p. 35. 36., quonam sensu in grammatica *πτῶσις* dicatur. Stoici enim, qui etiam hac in re strictiorem appellationem quaerebant, *πτῶσιν* pro nomine arripiebant, quod vocabulum miro modo explicando ad sententiam suam detorserunt: nam *πτῶσιν* inde dici volebant, quia omnium rerum notiones, quas certis nominibus appellamus, ex animo nostro, in quo habitent, in linguam deciderint, ita ut quodvis nomen quasi imago sit rei in sonum et verba delapsa. Vanam hanc et ridiculam opinionem Peripatetici facile refutarunt, quum verum sensum *τῆς πτώσεως* a declinatione casus recti, qui a simplici forma detorqueretur, derivarent, et praeterea monerent, ex ipsa Stoica ratione non minus verba et adverbia in linguam ex mente decidisse quam nomina, quorum propriam

---

*) *Πᾶν ἀπαρέμφατον ὄνομά ἐστι ῥήματος, εἴ γε καὶ οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς αὐτὸ μὲν καλοῦσι ῥῆμα, τὸ δὲ περιπατεῖ ἢ γράφει κατηγόρημα ἢ σύμβαμα καὶ ἔτι τὰς ἀπὸ τούτων ἐγκλίσεις.*

esse vellent τὴν πτῶσιν. Neque ulla novarum rerum, quas Stoici hoc loco moliebantur, vestigia in grammatica supersunt. Nam ad Platonis auctoritatem, qui primus exemplo suo grammaticum dicendi usum firmaverat, mox accessit Aristoteles, qui iisdem nominibus non aliter utebatur. Nunquam quidem Aristoteles, quantum ex veterum testimoniis comperimus, proprias de grammaticis rebus quaestiones instituit, quamquam in perfecto eius philosophiae ambitu grammatica minime exclusa, sed haud dubie inter logicae disciplinae partes recepta foret. Nunc in paucis tantum eius libris initia quaedam grammaticarum quaestionum invenimus, quae quamvis rara et abrupta satis tamen ostendunt, artem nostram inde a Platonis aetate aliquantum profecisse. Haec apud ipsum vestigia prius nobis indaganda et persequenda videntur; tum aliorum de Aristotelis grammatica testimonia colligemus, quae ab ipsius verbis paulum discrepant, quidque de hac dissensione iudicandum sit, videbimus.

Duo sunt praecipue Aristotelis loci, quibus partes orationis commemorandi occasio incidit, alter in libello de Interpretatione cap. 2. et 3., alter in vicesimo primo Poëticae capite. Quos priusquam adimus et inter se comparamus, quo consilio utrobique hanc mentionem iniecerit, explicandum est. Libellus ille, qui περὶ ἑρμηνείας inscribitur, de variis simplicis iudicii formis secundum gradus probabilitatis sive necessitatis agit: quare exordium eius in eo occupatum est, ut eae linguae partes, in quas veri et falsi discrimen cadat, quaerantur et exponantur, quibus inventis reliqua omnia, quae oratione continentur, ad hanc quaestionem nihil pertinent. Apparet igitur, nullo iure hoc loco ab Aristotele perfectam verborum divisionem exspectari posse, ubi simplicis iudicii, non linguae quaerat elementa. Sed in Poëtica

postquam de internis huius artis legibus, de eligendo et tractando argumento exposuit, ad externam formam, ad elocutionem transit. Et graviorem quidem huius quaestionis partem de vario dicendi genere, quod variis animi affectibus accommodatum sit, rhetoricae tractandam assignat: hoc loco illi de ea tantum sermonis laude dicendum videtur, quae a linguae usu et legibus pendet. *Τὴν λέξιν* igitur orationem dicit, de qua non cogitandi, sed dicendi legibus iudicamus. Cuius si partes se enumeraturum esse profitetur, iure hanc divisionem eam esse statuimus, quam ipse plenam et perfectam esse censebat. Quum igitur in libro de Interpretatione non eaedem orationis partes nominentur, quae in Poëtica tanquam *μέρη τῆς λέξεως* recensentur, non est quod miremur. Priore enim loco quia ad simplex enuntiatum, quod veritatis capax sit, nihil aliud ex omni sermonis ambitu quam nomen et verbum requiritur, haec sola ad examen vocantur. Utriusque igitur definitiones proponuntur, quas cum Platonicis comparare operae pretium est. Plato summum nominis et verbi discrimen bene perspexit et dilucide exposuit: verba actiones significare, nomina iis attribui qui agant: haec in universum optime se habent: sed Aristoteles ulterius progressus subtiliora, quae illas linguae partes distinent, discrimina quaerebat *). Itaque non tam universam earum naturam descripsit, quae ex Platone nota esse potuit, sed ea praecipue respexit, quae ad mutuam nominum et verborum inter se

*) Haec sunt verba Aristotelis de Intpr. cap. 2: *ὄνομα μὲν οὖν ἐστὶ φωνὴ σημαντικὴ κατὰ συνθήκην ἄνευ χρόνου, ἧς μηδὲν μέρος ἐστὶ σημαντικὸν κεχωρισμένον.* et cap. 3: *ῥῆμα δέ ἐστι τὸ προσσημαῖνον χρόνον, οὗ μέρος οὐδὲν σημαίνει χωρίς· καί ἐστιν ἀεὶ τῶν καθ᾽ ἑτέρου λεγομένων σημεῖον.*

coniunctionem explanandam faciunt. Primum igitur nomen extra tempus positum esse monet: quamvis enim res ipsas significet, ideoque quam maxime per se stare posse videatur, tamen ut in vitam et actionem transeat, alieno auxilio eget: hoc ipsum, quod ad nomen sustentandum accedat oportet, verbum est, cuius naturam bene in eo ponit, quod *τῶν καθ' ἑτέρου λεγομένων σημεῖον* sit: nam ipsum neque est neque habet, quod pronuntiat, sed alii sive homini sive rei assignat: illud inprimis ad nominis actionem affert, quod maxime desiderabatur, temporis definitionem (*τὸ προσσημαῖνον χρόνον*). Sed quamquam haec descriptio *τοῦ ῥήματος* praeter verba reliquas omnes linguae partes ex eius significatione excludit, tamen etiam apud Aristotelem nondum firmatum videmus hunc dicendi usum, sed prioris illius vestigia supersunt, quo praedicatum quodvis *ῥῆμα* dicebatur. Hoc enim sensu Aristoteles, ubi ad temporis definitionem, quam ipse constituit, parum attenderit, etiam adiectiva *ῥημάτων* nomine complexus est; veluti de Intpr. c. 1. p. 58. ed. Sylb. *τὰ μὲν οὖν ὀνόματα αὐτὰ καὶ τὰ ῥήματα ἔοικε τῷ ἄνευ συνθέσεως καὶ διαιρέσεως ὀνόματι, οἷον τὸ ἄνθρωπος ἢ τὸ λευκόν*, et eod. libr. (cap. 14. p. 68. S.): *μετατιθέμενα τὰ ὀνόματα καὶ τὰ ῥήματα ταὐτὸν σημαίνει, οἷον ἔστι λευκὸς ἄνθρωπος, ἔστιν ἄνθρωπος λευκός*: utroque loco adiectivum *λευκὸς* aperte pro exemplo *ῥήματος* positum est.

Iam vero ad Poëticae locum, de quo diximus, accedimus, ubi partes totius orationis, *ἁπάσης τῆς λέξεως*, his verbis enumerantur: *στοιχεῖον, συλλαβή, σύνδεσμος, ὄνομα, ῥῆμα, ἄρθρον, πτῶσις, λόγος*. Ex hac serie primum ea secernemus, quae non ex usu nostro sermonis partes dici possunt, h. e. simplicia linguae elementa, in quibus significatio aliqua insit. Itaque *στοιχεῖον* et *συλλαβή*, quippe quae per se nihil signi-

licent, *πτώσεις*, quae nihil sunt nisi mutatae nominum et verborum formae, et *λόγος*, qui ex ipsis orationis partibus componitur, haec omnia, dico, ordine movenda sunt. Restant igitur quatuor orationis partes, quas Aristoteles esse statuit, praeter nomen et verbum, articulus et coniunctio. Quum enim *ὄνομα* et *ῥῆμα* finibus illis inclusa essent, quos primus Plato descripserat, et Aristoteles confirmarat; magna supererat et incondita linguae moles, quae in neutram partem digeri potuit. Sed paulatim in hanc quoque ordo et ratio ingerebantur. Et primum quidem, quod fieri necesse erat, eae partes discernebantur, quae natura sua quam longissime ab illis distant, quas primarias esse agnoverat sanum et subtile iudicium. Quum nomen et verbum orationis quasi animam et vim continerent, longe aliam speciem particulae illae praebebant, quae ad dictionis formam expoliendam, non ad materiem eius amplificandam faciunt. Contra ea verborum genera, quae cum praecipuis duobus aliquam coniunctionem et affinitatem habebant, diutius indiscreta manebant et in universa linguae mole latitabant: pronomen cum nomine facile connectebatur: adiectiva et adverbia, quum praesertim primam *τοῦ ῥήματος* significationem respiciamus, et ipsius Aristotelis dicendi usum recordemur, qui *λευκὸν* exemplum fecit *ῥήματος*, nihil mirandum est, quod nondum propria descriptione a verbis distinxerit *). Omnes autem orationis partes, quae plurimum a primariis differebant, Aristoteli in duplex genus discedere

*) Quamquam Aristoteles alio loco Categ. c. 6. adiectivis quasi suum regnum assignare videtur: *ἐπὶ μὲν οὖν τῶν πλείστων καὶ σχεδὸν ἐπὶ πάντων παρωνύμως λέγεται οἷον ἀπὸ τῆς λευκότητος ὁ λευκός, — — ἐπ' ἐνίων δὲ διὰ τὸ μὴ κεῖσθαι ταῖς ποιότησιν ὀνόματα, οὐκ ἐνδέχεται τὰ λεγόμενα παρω-*

videbantur, cui primus omnium illud nomen imposuit, quod usque ad hunc diem obtinuit, *συνδέσμους* et *ἄρθρα*. Sed quonam modo utrumque genus distinxerit, quamve propriam eorum naturam esse statuerit, non facile affirmari potest, quia locus, quo explicationes continentur, misere corruptus, necdum ulla interpretum ope persanatus est. Pristina eius forma, qualis a Graefenhanio, novissimo Poëticae editore sine ulla sententiae subsidio restituta est, sic se habet: *Σύνδεσμός ἐστι φωνὴ ἄσημος ἣ οὔτε κωλύει, οὔτε ποιεῖ φωνὴν μίαν σημαντικήν, ἐκ πλειόνων φωνῶν πεφυκυῖαν συντίθεσθαι, καὶ ἐπὶ τῶν ἄκρων καὶ ἐπὶ τοῦ μέσου, ἣν μὴ ἁρμόττῃ ἐν ἀρχῇ λόγου τιθέναι καθ' αὑτήν· οἷον μέν, ἤτοι, δή· ἢ φωνὴ ἄσημος ἐκ πλειόνων μὲν φωνῶν μιᾶς, σημαντικῶν δέ, ποιεῖν πεφυκυῖα μίαν σημαντικὴν φωνήν. Ἄρθρον δέ ἐστι φωνὴ ἄσημος, ἣ τοῦ λόγου ἀρχήν, ἢ τέλος, ἢ διορισμὸν δηλοῖ, οἷον τὸ φημί, καὶ τὸ περί, καὶ τὰ ἄλλα· [ἢ φωνὴ ἄσημος, ἣ οὔτε κωλύει, οὔτε ποιεῖ φωνὴν μίαν σημαντικήν, ἐκ πλειόνων φωνῶν πεφυκυῖαν συντίθεσθαι καὶ ἐπὶ τῶν ἄκρων καὶ ἐπὶ τοῦ μέσου.]* In his quantum turbatum sit, facillime inde intelligi potest, quod in fine omnia, quae uncinis inclusimus, ad verbum ex praecedentibus descripta sunt, et eadem, quae modo coniunctionis explicationem continebant, nunc pro articuli definitione venditantur. Deinde, quod egregie vidit Ill. Hermannus suaque editione mutato ordine expressit, verba: *ἢ λόγου ἀρχὴν ἢ τέλος ἢ διορισμὸν δηλοῖ* non ad definiendum articulum pertinere possunt, sed aperte coniunctionis naturam

---

νύμως ἀπ' αὐτῶν λέγεσθαι οἷον ὁ δρομικός, ὁ πυκτικός — ἐνίοτε δὲ καὶ ὀνόματος κειμένου, οὐ λέγεται παρωνύμως τὸ κατ' αὐτὴν ποιὸν λεγόμενον, οἷον ἀπὸ τῆς ἀρετῆς ὁ σπουδαῖος.

describunt, praesertim quum exempla coniunctionum, quae h. l. afferuntur, *μέν*, *ἤτοι*, *δή* ipsa illa munera, quae his verbis indicantur, expleant; *μέν* primam propositionis partem inducit (*τὴν ἀρχὴν δηλοῖ*), *ἤτοι* disiunctionem (*διορισμόν*) et *δή* conclusionem (*τέλος*) efficit. Tum autem si articulorum exempla *τὸ φημί* et *τὸ περί* accuratius consideramus, eam vim articuli inprimis expressam esse patet, qua quodvis vocabulum, cui praefigitur, ad nominis dignitatem extollit et firmam significationem illi attribuit: haec vero articuli proprietas aperte illis verbis continetur, quae in vulgari huius loci conditione tanquam altera quaedam coniunctionis definitio subiungitur: *ποιεῖν πεφυκυῖα μίαν σημαντικὴν φωνήν.* Contra Aristoteles coniunctionis vim haud dubie in eo posuit, ut plura verba ad unam sententiam exprimendam coniungeret. Quare ex hac oppositione, quod articulus non ex pluribus verbis unum efficit, sed singula quaeque quasi definitae significationis vinculo firmat; coniunctio autem ad singulorum verborum sensum nihil facit, sed plura coniuncta unius sententiae nexu complectitur *), unice huius loci lux petenda esse videtur. Nos quidem eam viam ingressi hanc rationem disiecta membra in ordinem redigendi aut veram aut verae proximam esse censemus: *Σύνδεσμός ἐστι φωνὴ ἄσημος, ἣ οὔτε κωλύει οὔτε ποιεῖ φωνὴν μίαν σημαντικὴν* [*εἶναι, μίαν δὲ σημαντικὴν*] *ἐκ πλειόνων φωνῶν πεφυκυῖα συντίθεσθαι* (vel potius *συντιθέναι*), *καὶ ἐπὶ τῶν ἄκρων καὶ ἐπὶ τοῦ μέ-*

---

*) Haec ipsa Aristotelica de coniunctione sententia esse videtur, quam Posidonius impugnavit, teste Apollonio de Coniunctt. p. 480. ed. Bkk: *Ποσειδώνιος ἐν τῷ περὶ συνδέσμων ἀντιλέγων πρὸς τοὺς φάσκοντας, ὡς οἱ σύνδεσμοι οὐ δηλοῦσι μέν τι, αὐτὸ δὲ μόνον τὴν φράσιν συνδέουσιν.*

σον, ἣν μὴ ἁρμόττῃ ἐν ἀρχῇ λόγου τιθέναι, καθ' αὑτὸν ἢ λόγου ἀρχὴν ἢ τέλος ἢ διορισμὸν δηλοῖ, οἷον μέν, ἤτοι, δή. Ἄρθρον δὲ φωνὴ ἄσημος ἐκ πλειόνων μὲν φωνῶν μιᾶς [οὐ σημαντική], σημαντικὴν δὲ ποιεῖν πεφυκυῖα μίαν φωνήν, οἷον τὸ φημί καὶ τὸ περί καὶ τὰ ἄλλα.

Eandem coniunctionum et articulorum vim, quae hoc loco describitur, etiam in Rhetoricis ad Alexandrum cap. 26. ex allatis exemplis observatam esse videmus. Ibi enim de collocatione verborum praecepta ita traduntur, ut praeter nomen de coniunctionibus et articulis pauca quaedam moneantur: primum eas coniunctiones eligendas esse, quae recte sese excipiant, cuius rei hoc exemplum ponitur: *ἐγὼ μὲν παρεγενόμην οὗ ἔφην, σὺ δὲ φάσκων ἥκειν οὐκ ἦλθες*, in quo particularum *μὲν* et *δὲ* apte collocatarum ratio habetur *); tum, si eadem coniunctio bis aut saepius ponatur, iustum ordinem esse servandum, velut in his: *σὺ γὰρ κἀκείνων αἴτιος ἐγένου, καὶ τούτων αἴτιος σύ*, in quibus repetitum *καὶ* respicitur. De articulis autem breviter haec praecipiuntur: *Τὸ προσέχειν τοῖς ἄρθροις ὅπως ἐν τῷ δέοντι προστιθῆται, ἐπὶ τῶνδε ὅρα: οὗτος ὁ ἄνθρωπος τοῦτον τὸν ἄνθρωπον ἀδικεῖ. νῦν μὲν οὖν ἐγγινόμενα τὰ ἄρθρα σαφῆ ποιεῖ τὴν λέξιν, ἐξαιρεθέντα δὲ ἀσαφῆ.* In quo loco non solum illud *ὁ* et *τὸ* sed etiam pronomen *οὗτος* pro articulo habitum esse apparet, quae ratio quamquam aliena a nostro more, minime tamen absurda est: omnino enim ubi eiusmodi pronomina quae hodie vulgo dicuntur, *οὗτος, ἐκεῖνος*, alia cum nominibus suis copulantur, ridicule pronomina appellantur, quae nullius nominis locum explent, sed potius id ipsum effi-

*) Cfr. similis locus in Rhet. maj. III, 5.

ciunt, quod Aristoteles articulorum esse voluit, ut ex infinita multitudine una et certa res proferatur et in medio ponatur.

Iam igitur quum ex ipso Aristotele satis dilucide demonstratum sit, quadripartitam eum orationis divisionem instituisse, singularem quandam difficultatem oriri videmus ex veterum criticorum de eius grammatica ratione testimoniis. Nam Dionysius Halicarnassensis et Quinctilianus uno ore diserte tradunt, Aristotelem tres tantum fecisse orationis partes, quartam Stoïcos demum addidisse. Dionysius idem bis pronuntiat, primum de Comp. Verbb. cap. 2. init.: ἡ σύνθεσίς ἐστιν ὥσπερ καὶ αὐτὸ δηλοῖ τοὔνομα, ποιά τις θέσις παρ' ἄλληλα τῶν τοῦ λόγου μορίων, ἃ δὴ καὶ στοιχεῖά τινες τῆς λέξεως καλοῦσι. Ταῦτα δὲ καὶ Θεοδέκτης μὲν καὶ Ἀριστοτέλης καὶ οἱ κατ' ἐκείνους φιλοσοφήσαντες τοὺς χρόνους ἄχρι τριῶν προήγαγον, ὀνόματα καὶ ῥήματα καὶ συνδέσμους πρῶτα μέρη τῆς λέξεως ποιοῦντες. Οἱ δὲ μετ' αὐτοὺς γενόμενοι καὶ μάλιστα οἱ τῆς Στωϊκῆς αἱρέσεως ἡγέμονες ἕως τεττάρων προὐβίβασαν, χωρίσαντες ἀπὸ τῶν συνδέσμων τὰ ἄρθρα: et altero loco de Demosth. praest. p. 1101. ed. Reisk. τοῖς πρώτοις μορίοις τῆς λέξεως ἃ δὴ στοιχεῖα ὑπό τινων καλεῖται, εἴτε τρία ταῦτ' ἔστιν, ὡς Θεοδέκτῃ τε καὶ Ἀριστοτέλει δοκεῖ, ὀνόματα καὶ ῥήματα καὶ σύνδεσμοι, εἴτε πλείω, δύο ταῦτα ἀκολουθεῖ, μέλος καὶ χρόνος ἴσα. Quinctilianus autem Instit. I, c. 4. sic de eadem re exponit: *Tum videbit ad quem hoc pertinet, quot et quae sint partes orationis: quamquam de numero parum convenit. Veteres enim, quorum fuerunt Aristoteles quoque atque Theodectes, verba modo et nomina et coniunctiones tradiderunt. — — Paulatim a philosophis et maxime Stoïcis auctus est numerus; ac primum coniunctionibus articuli adiecti.*

In hac tam gravi testium discrepantia primum hoc monendum videtur, duos tamen nonnisi pro uno habendos esse. Nam Quinctilianus tam aperte h. l. Dionysii verba exprimit, ut non dubitem huius auctoritatem eum h. l. sequutum esse neque ulla propria huius rei investigatione niti. Sed quomodo Dionysius ad illam opinionem adductus est, quae Aristotelis testimoniis diserte obloquitur? Hanc quaestionem non aliter solvi posse existimo, quam si Dionysium illum Poëticae locum aut ignorasse aut neglexisse statuamus, quod quamquam mirum esse videtur, tamen non incredibile est. Omnino enim hic locus ita comparatus est, ut nisi diligentius perpendatur, aliam potius linguae divisionem quam in proprias orationis partes continere videatur: quia quae vulgo alio grammaticae loco tractantur, arcte h. l. cum iis coniuncta sunt; littera, syllaba, casus et propositio. Praeterea libellum ipsum de Poëtica, quem nos ab Aristotele profectum esse, quanquam illi fortasse elaborare eum et perpolire non amplius contigerit, minime dubitamus, propter inconcinnam et turbatam eius formam ab antiquitate minus lectitatum esse non immerito, opinor, suspicamur. Hinc aliqua saltem ratione illud intelligitur, quod etiam Ammonius, cuius proprium erat officium in commentariis ad librum de Interpretatione Aristotelis de verborum divisione sententias colligere et comparare, insignem nostrum Poëticae locum prorsus non respexit.

Sed restat quaerere, quidnam secutus Dionysius tripartitam divisionem Aristoteli et Theodecti tribuerit, cuius nulla apud Aristotelem vestigia reperimus. Nihil verisimilius esse videtur, quam hanc Theodectis fuisse rationem, cuius Dionysius saepe mentionem facit. Erat ille Aristotelis fere aequalis, et praeter rhetoricam, cui plurimum operae navabat,

grammaticam colebat *). Hic igitur in dividendis orationis partibus articulum non seiunxisse putandus est, quod Aristoteles primus instituit, sicut supra ostendimus, non Stoïci, quod Dionysius contendit: nam huic quoque sententiae certissima de Stoïcorum disciplina testimonia obstant. Sed de his infra videbimus, ubi Stoïcorum de grammatica merita exponere conabimur: nunc reliqua grammatici studii vestigia praeter divisionem verborum, ex Platone et Aristotele colligemus.

Divisis orationis partibus, omne fere grammaticae studium eo converti necesse erat, ut universae mutationes, quas nomina et verba dicendi necessitas subire cogit, diligenter observarentur et ordine suo disponerentur. Sed ista variarum formarum observatio, quam nos a teneris imbibere solemus, serum et tenue cepit initium, nec nisi diuturno usu ad finem perducta est. Prima erat et facillima generum distinctio, ad quam ipsa rerum natura ducebat. Hanc a Protagora inventam esse, supra monuimus: neque ille satis habebat, tertio generi ex negatione ceterarum duarum nomen petere, quemadmodum nos inde ab Alexandrinorum aetate *neutrum* sive *οὐδέτερον* dicimus; sed ut *mascula* et *feminina*, *ἄῤῥενα* et *θήλεα*, nomina distinxerat, sic *τὰ σκεύη* in medio posita esse statuebat **). Sed haec appellandi ratio non diu obtinuisse videtur: ab Aristophane primum facete deridetur ***): in Platone nullam eius mentionem factam esse invenimus: Aristoteles, qui memoriam Protagoreae distinctionis servavit,

---

*) De Theodecte cfr. Ruhnkenii hist. crit. Oratt. graec. p. 83.

**) v. Rhet. maj. III, c. 5: ὡς Πρωταγόρας τὰ γένη τῶν ὀνομάτων διῄρει, ἄῤῥενα καὶ θήλεα καὶ σκεύη.

***) Nubb. v. 656.

ipse ab eius denominatione recessit, et novo invento neutrum *τὸ μεταξὺ* dixit: Poët. c. 21: *τῶν ὀνομάτων τὰ μὲν ἄῤῥενα, τὰ δὲ θήλεα, τὰ δὲ μεταξύ.* Elench. soph. I, c. 3. p. 423. ed. Sylb. *οἱ δὲ παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως συμβαίνουσιν, ὅταν τὸ μὴ ταὐτὸν ὡσαύτως ἑρμηνεύηται, οἷον τὸ ἄῤῥεν θῆλυ ἢ τὸ θῆλυ ἄῤῥεν ἢ τὸ μεταξὺ θάτερον τούτων.* Ibid. I, c. 13. p. 440. *εἰσὶ δὲ πάντες σχεδὸν οἱ λεγόμενοι σολοικισμοὶ παρὰ τὸ τόδε καὶ ὅταν ἡ πτῶσις μήτε ἄῤῥεν μήτε θῆλυ δηλοῖ, ἀλλὰ τὸ μεταξύ. τὸ μὲν γὰρ οὗτος ἄῤῥεν σημαίνει, τὸ δὲ αὕτη θῆλυ, τὸ δὲ τοῦτο θέλει μὲν τὸ μεταξὺ σημαίνειν, πολλάκις δὲ σημαίνει κἀκείνων ἑκάτερον, οἷον· τί τοῦτο; Καλλιόπη, ξύλον, Κορίσκος.* Videbat enim, quia lingua minime sibi constat, neque omnia, quae natura sua neque masculino neque feminino generi adnumerari possunt, neutrali genere in lingua proferuntur, huius generis nomen haud apte peti a rebus, quae eo continentur, sed ex comparatione cum prioribus duobus generibus esse imponendum, quale erat *τὸ μεταξύ* et quod postea in usum venit, *τὸ οὐδέτερον.* Aristoteles quoque genus mere grammaticum, quatenus in dicendo certis signis indicatur, proprio nomine *τὴν κλῆσιν* appellavit, quod ex pluribus locis apparet: Elench. soph. I, 13. p. 441: *καὶ ἐπὶ τῶν θηλέων ὀνομάτων ὡσαύτως καὶ ἐπὶ τῶν λεγομένων μὲν σκευῶν, ἐχόντων δὲ θηλείας ἢ ἄῤῥενος κλῆσιν. ὅσα γὰρ εἰς τὸ ο καὶ τὸ ν τελευτᾷ, ταῦτα μόνα σκεύους ἔχει κλῆσιν, οἷον ξύλον, σχοινίον, τὰ δὲ μὴ οὕτως ἄῤῥενος ἢ θήλεος, ὧν ἔνια φέρομεν ἐπὶ τὰ σκεύη, οἷον ἀσκὸς μὲν ἄῤῥεν τοὔνομα, κλίνη δὲ θῆλυ.* II, 6. p. 461: *ὁ δὲ λίθος καὶ τὸ οὗτος ἄῤῥενος ἔχει κλῆσιν.*

Aristoteles quoque primus nominum terminationes secundum genera disposuit: cuius distributionis memorabile specimen in Poëtica exstat cap. 22. fin.: *ἄῤῥενα μὲν ὅσα τελευτᾷ*

εἰς τὸ ν καὶ ρ καὶ σ καὶ ὅσα ἐκ τούτου καὶ τῶν ἀφώνων *) *σύγκειται· ταῦτα δέ ἐστι δύο τὸ ψ καὶ ξ. θήλεα δέ, ὅσα ἐκ τῶν φωνηέντων εἴς τε τὰ ἀεὶ μακρά, οἷον εἰς η καὶ ω, καὶ τῶν ἐπεκτεινομένων εἰς α. ὥστε ἴσα συμβαίνει πλήθει, εἰς ὅσα τὰ ἄῤῥενα καὶ τὰ θήλεα. τὸ γὰρ ψ καὶ τὸ ξ καὶ σ ταὐτά ἐστιν. εἰς δὲ ἄφωνον οὐδὲν ὄνομα τελευτᾷ οὐδὲ εἰς φωνῆεν βραχύ. εἰς δὲ τὸ ι τρία μόνα· μέλι, κόμμι, πέπερι· εἰς δὲ τὸ υ πέντε· τὸ πῶϋ, τὸ νάπυ, τὸ δόρυ, τὸ γόνυ, τὸ ἄστυ· τὰ δὲ μεταξὺ εἰς ταῦτα καὶ ν καὶ σ.* In hac partitione nullam declinationum rationem habitam esse apparet: quo factum est, ut multa quae nos ex declinationum discrimine accuratius exponere solemus, h. l. desiderentur: ille enim in universa nominum copia singulis litteris, quae in exitu verborum inveniuntur, unum genus assignandum duxit, quod in unaquaque maxime regnare videbat, nec nisi in neutrali genere, ne prorsus terminationibus suis destitueretur, σ et ν litteras, quas masculino tribuerat, iterum protulit. Eadem terminationum secundum genera distributio, quae ab Aristotcle primum tentabatur, ab Alexandrinis grammaticis retenta et perfecta est, ita tamen ut omnes cuiusque generis exitus afferrentur, eaedemque litterae in variis generibus, quibus propriae essent, repeterentur. Habemus conspicuum huius studii exemplum in Dionysii Thracis grammatica p. 632. Bkk.: *Τελικὰ ἀρσενικῶν ὀνομάτων ἀνεπεκτάτων κατ' εὐθεῖαν καὶ ἑνικὴν πτῶσιν στοιχεῖά ἐστι πέντε, ν, ξ, ρ, σ, ψ· θηλυκῶν δὲ ὀκτώ, α, η, ω, ν, ξ, ρ, σ, ψ· οὐδετέρων δὲ ἕξ, α, ι, ν, ρ, σ, υ.*

---

*) Sic legendum esse bene vidit Tyrwhittus pro vulgata scriptura: *ἐκ τούτων ἀφώνων σύγκειται*, quae non melius intelligi potest, quam ea, quam nuper dedit Graefenhan. omisso vocabulo *ἀφώνων*: *ἐκ τούτων σύγκειται.*

Hunc Dionysii locum repetiit Herodianus in epitome τῶν ὀνομάτων κανόνων ap. Tyrwhitt. ad Poët. p. 179.

Proxima est nominum declinatio per numeros et casus deducta, cuius nullam ante Aristotelem observationem factam, sed apud hunc ipsum nascentem eam et incertam esse videmus. Primum nomen *τῆς πτώσεως* eo sensu, quo varia flexionum genera complectitur, apud antiquiorem scriptorem, quantum scio, nullum reperitur. Aristoteles autem non magis nominum casus, quam verborum mutatas formas et omnes omnino terminationum conversiones πτώσεις dixit, quod ex pluribus locis satis cognoscitur: nam primum in illo de Interpr. loco, de quo supra egimus cap. 2. et 3. iisdem fere verbis utrumque docetur, et hoc: τὸ δὲ *Φίλωνος* ἢ *Φίλωνι* καὶ ὅσα τοιαῦτα οὐκ ὀνόματα ἀλλὰ πτώσεις ὀνόματος, et illud: τὸ *ὑγιανεῖ* καὶ *ὑγίανεν* οὐ ῥῆμα ἀλλὰ πτώσεις ῥήματος. Item cfr. Poët. c. 20: πτῶσίς ἐστι ὀνόματος ἢ ῥήματος, et paulo post: τὸ *ἐβάδιζε* ἢ *βάδιζε* πτῶσις ῥήματος. Top. VI, 4.: εἰ τῶν ὁμοίων τοῦ ὀνόματος πτώσεων αἱ ὅμοιαι τοῦ λόγου πτώσεις ἁρμόττουσιν, οἷον εἰ *ὠφέλιμον* τὸ ποιητικὸν ὑγιείας, *ὠφελίμως* τὸ ποιητικῶς ὑγιείας καὶ ὠφεληκὸς τὸ πεποιηκὸς ὑγίειαν. In nominibus autem declinandis Aristoteles τὰς πτώσεις tam ad numeri, quam ad casuum flexiones refert: v. Poët. c. 20. ἡ μὲν τὸ κατὰ τούτου ἢ τούτῳ σημαίνουσα (πτῶσις) καὶ ὅσα τοιαῦτα, ἡ δὲ τὸ ἑνὶ ἢ πολλοῖς οἷον *ἄνθρωποι* ἢ *ἄνθρωπος*. Dualis h. l. nulla mentio fit. Et omnino ex tota dicendi forma satis apparet, hoc genus grammaticae observationis tum recens fuisse et nuper ortum: nam certae denominationes, quibus nos utimur, nondum inventae sunt, sed res ipsa secundum naturam suam describitur. Haec libera dictionis proprietas nulla consuetudinis lege circumscripta, maxime in casuum, quos dicimus, designatione

conspicitur. Certus eorum numerus nusquam ab Aristotele constituitur, sed duobus locis, ubi praeter nominativum duos alios, genitivum et dativum indicaverat, *καὶ ὅσα τοιαῦτα* ita addidit, quasi plures etiam superessent casus, quam accusativus: vid. locos modo ex Poët. et supra ex cap. 2. de Interpr. allatos. Indicat autem variam casuum naturam ita, ut formam pronominis *οὗτος* eo casu, quem indicaturus est, expressam, tanquam verum nomen ponat: hic usus optime intelligitur ex insigni loco Elench. soph. I. c. 13. ubi errores tangit, qui in dicendo ex generum aut casuum permutatione nascuntur: *τοῦ μὲν οὖν ἄῤῥενος καὶ θήλεος διαφέρουσιν αἱ πτώσεις ἅπασαι, τοῦ δὲ μεταξὺ αἱ μέν, αἱ δὲ οὔ· δοθέντος δὲ πολλάκις τοῦτο, συλλογίζονται ὡς εἰρημένον* (f. — *μένου*) *τοῦτον· ὁμοίως δὲ καὶ ἄλλην πτῶσιν ἀντ' ἄλλης. ὁ δὲ παραλογισμὸς γίνεται διὰ τὸ κοινὸν εἶναι τὸ τοῦτο πλειόνων πτώσεων· τὸ γὰρ τοῦτο σημαίνει ὁτὲ μὲν οὗτος, ὁτὲ δὲ τοῦτον. δεῖ δὲ ἐναλλὰξ σημαίνειν μετὰ μὲν τοῦ ἔστι τὸ οὗτος, μετὰ δὲ τοῦ εἶναι τὸ τοῦτον.* Itaque nominativus et accusativus formis *οὗτος* et *τοῦτον* exprimuntur; genitivus et dativus eo loco, quem modo ex Poët. c. 20. descripsimus, indicantur: *ἡ μὲν κατὰ τούτου ἢ τούτῳ σημαίνουσα πτῶσις*, ubi magnopere vereor ne praepositio *κατὰ* a librario invecta sit, qui Aristotelis dicendi usum ignorabat. Nominativum, ubi cum ceteris casibus comparatur, et ipsum casum appellat, quod loco ex Elench. soph. modo adscripto factum esse vidimus: quamquam alias hanc primitivam nominis formam simpliciter nomen dixit, ab eoque *τὰς πτώσεις* tanquam derivatas formas seiunxit. v. de Intpr. c. 2: *τὸ δὲ Φίλωνος ἢ Φίλωνι καὶ ὅσα τοιαῦτα οὐκ ὀνόματα, ἀλλὰ πτώσεις ὀνόματος.* Et eodem loco inter nominativum et casus obliquos hoc discrimen ponit, quod ille cum verbo substantivo con-

iunctus primam propositionem faciat, in quam veri aut falsi iudicium cadat, ceteri casus cum solo verbo substantivo copulati nihil veri aut falsi enuntient *).

Haec fere declinationum vestigia sunt, quae apud Aristotelem reperiuntur, quibus ad perfectam imaginem externam potius formam, quam internam rationem deesse patet. Quae de ceteris nominum affectionibus Poët. cap. 21. disserit, ea rhetoricam potius quam grammaticam spectant: veluti nomina simplicia et composita, quae Plato *τὰ πρῶτα* et *τὰ ὕστερα* dixit, ille *ἁπλᾶ* et *διπλᾶ* vel *τριπλᾶ*, sive quo nomine de Intpr. c. 2. utitur, *τὰ συμπεπλεγμένα* appellat: tum propria nomina (*τὰ κύρια*) *ἀπὸ τῶν γλωττῶν* distinguit: propria enim non singulorum hominum aut locorum nomina, sed ea omnia dicit, quae cuique linguae vel dialecto propria et usitata, *γλώττας*, quae aliunde illata sunt. Metaphorae et ornatus explanationes, quae deinde sequuntur, a nostra quaestione alienae sunt: propiora, quae de formis *ἐπεκτεταμένου* et *ἀφῃρημένου*, quas dicit, eodem loco affert: prius enim sive vocalem in nomine aliquo praeter morem productum, sive syllabam insertam significat, cuius exempla dedit: *πόληος* et *Πηληϊάδεω*, alteram deminutionem nominis, velut si *κρῖ* et *δῶ* dicitur pro *κριθὴ* et *δῶμα*.

Haec et similia de varia nominum mutatione ab Aristotele adnotata sunt: verborum tractatio, quamquam latius patet et plura flexionum genera complectitur, primis grammaticae temporibus aut minus observata necdum ad certam ra-

---

*) *Λόγος δέ ἐστιν αὐτοῦ, τὰ μὲν ἄλλα κατὰ τὰ αὐτά, ὅτι δὲ μετὰ τοῦ ἔστιν ἢ ἦν ἢ ἔσται οὐκ ἀληθεύει ἢ ψεύδεται, τὸ δὲ ὄνομα ἀεί· οἷον Φίλωνός ἐστιν ἢ οὐκ ἔστιν· οὐδὲν γάρ πω οὔτε ἀληθεύει οὔτε ψεύδεται.*

tionem redacta est, aut pauciora huius observationis vestigia nobis restant. Primum *temporis* discrimina iampridem in variis verborum formis dignoscebantur, sed nonnisi communi temporis divisione includebantur. Sic Plato Soph. p. 262. St. 227, 13. verborum tempora definiendi facultatem in universum bene describit: *δηλοῖ ἤδη που τότε* (h. e. si verbum nomini subiicitur) *περὶ τῶν ὄντων ἢ γιγνομένων ἢ γεγονότων ἢ μελλόντων*: in quibus nescio an *τὰ γιγνόμενα* tanquam narrationis argumentum ad aoristum, proprium historiae tempus, referenda sint. Neque sane apud Aristotelem temporum rationem magis explicatam invenimus: nam Poët. c. 20. duo tantum verbi tempora commemorantur, praesens et praeteritum, *ὁ παρὼν χρόνος καὶ ὁ παρεληλυθώς*, quorum exempla praemissa erant. In libro de Interpretatione praesens tempus reliquis omnibus ita opponit, ut illud proprie verbum dicat, haec autem casus verbi appellet et diversa tempora, quae exprimunt, uno nomine *τοῦ πέριξ χρόνου* complectatur *). Deinde cap. 11. principales verbi formas enumerat: *τὸ γὰρ ἔστιν ἢ ἔσται ἢ ἦν ἢ γίγνεται ἢ ὅσα τοιαῦτα ῥήματα ἐκ τῶν κειμένων ἐστὶ* h. e. eiusdem naturae cum praesenti ad iudicia componenda; et paulo post haec omnia *τοὺς ἐκτὸς χρόνους* dicit, in quo nomine, ut in *τῷ πέριξ χρόνῳ* praesens tanquam primum et potissimum tempus cogitatur. Nullum autem nominum eorum, quibus grammatica hodie ad varia tempora indicanda utitur, apud Aristotelem apparet, praeter simplicia illa: *ὁ παρὼν* et *ὁ παρεληλυθὼς χρόνος*.

*) Cap. 3. *τὸ ὑγιανεῖ καὶ ὑγίανεν οὐ ῥῆμα ἀλλὰ πτώσεις ῥήματος· διαφέρει δὲ τοῦ ῥήματος, ὅτι τὸ μὲν τὸν παρόντα προσσημαίνει χρόνον, τὰ δὲ τὸν πέριξ.*

Nam ἀόριστον ῥῆμα dialectico sensu dixit, non minus quam ἀόριστον ὄνομα de Intpr. c. 2. 3. et 11., quando nomen aut verbum cum negatione compositum unum aliquod significat, sed non vere nomen aut verbum dicendum est *).

Activum et passivum verborum genus nusquam ab Aristotele grammatico sensu et consilio disiunctum et enotatum esse videtur: nusquam nomina illa, quibus recentior grammatica utitur, τοῦ ἐνεργητικοῦ καὶ παθητικοῦ, in scriptis eius hoc sensu apparent. In universum autem ad illud discrimen observandum adducitur in categoriarum ratione, quum ipse nonam categoriam faciat τοῦ ποιεῖν καὶ πάσχειν, cuius exempla θερμαίνειν et θερμαίνεσθαι, ψύχειν et ψύχεσθαι grammaticam prope attingunt. Eadem distinctio iterum commemoratur in Elench. Soph. I, c. 3. pag. 423. ubi illud dicendi artificium explicatur, quo diversae res verborum similitudine inter se permutantur: ὅταν τὸ μὴ ταὐτὸν ὡσαύτως ἑρμηνεύηται, οἷον τὸ ἄῤῥεν θῆλυ ἢ τὸ θῆλυ ἄῤῥεν ἢ τὸ ποιὸν ποσόν, ἢ τὸ ποιοῦν πάσχον: et paulo post eodem loco verba neutra diserte ab activis distinguuntur: ἢ τὸ διακείμενον ποιοῦν: nam sic necessario legendum est, non ποιεῖν, quod Sylburg. edidit; quae vero ad hoc discrimen explicandum sequuntur, aperte corrupta sunt, nec tam facile emendantur: ἔστι γὰρ τὸ μὴ τῶν ποιεῖν ὂν ὡς τῶν ποιεῖν τι τῇ λέξει σημαίνειν: sed exemplum, quod subiicitur, Aristotelis sensum satis declarat: οἷον τὸ ὑγιαίνειν ὁμοίως σχήματι τῆς λέξεως

---

*) C. 2. τὸ δ' οὐκ ἄνθρωπος οὐκ ὄνομα· οὐ μὲν οὐδὲ κεῖταί γε ὄνομα ὅ τι δεῖ καλεῖν αὐτό. οὔτε γὰρ λόγος οὔτε ἀπόφασίς ἐστιν, ἀλλ' ἔστω ὄνομα ἀόριστον. c. 3. τὸ δὲ οὐχ ὑγιαίνει καὶ τὸ οὐ κάμνει οὐ ῥῆμα λέγω — — ἀλλ' ἔστω ἀόριστον ῥῆμα.

λέγεται τῷ τέμνειν ἢ οἰκοδομεῖν· καίτοι τὸ μὲν ποιόν τι καὶ διακείμενόν πως δηλοῖ, τὸ δὲ ποιοῦν τι (vulg. *ποιεῖν τι*). Quod igitur h. l. verbo *διακεῖσθαι* indicat, eandem verbi neutralis naturam alio loco categoria *τοῦ ἔχειν* complectitur, Categ. cap. 2. et 7., quamquam exempla, quae ibi affert, *ὑποδεδέσθαι καὶ ὡπλίσθαι* passivam formam prae se ferunt.

Denique *modorum*, quos dicimus, nullam usquam commemorationem apud Platonem et Aristotelem detegimus. Quam arcte rhetorica Protagorae divisio, qua quatuor dicendi formas complectebatur, cum grammatica modorum distinctione cohaereat, supra monuimus: sed nemo hunc locum eius disciplinae persequutus esse videtur.

Quae quum ita sint, satis apparet, etiam post insignem Aristotelis operam multum ad perfectam grammaticae artem defuisse, qua totum linguae artificium omnibus nnmeris absolutum poneretur. Deerat plena orationis partium divisio, deerat ratio et ordo in variis flexionum generibus: deerat denique certa omnium partium et casuum denominatio, cuius usus late propagatus grammaticae regnum firmavit et constituit. Quis igitur reliquas has disciplinae partes absolvit, et universae doctrinae novam formam et mansuras leges invenit? Haud magnam huius operae partem Peripateticorum schola sibi vindicat: novimus quidem plures Aristotelis amicos et discipulos in eo genere elaborasse; sed quantum ex raris veterum testimoniis colligere licet, mediocrem grammaticae partem coluisse videntur. Primum cum Aristotele ipso *Theodectes* a Dionysio et Quinctiliano, ut vidimus, commemoratur, tanquam in dividendis orationum partibus aliquid studii collocaverit: praeterea solum rhetoricae eius artis interdum mentio fit. *Aristoxenus* autem, de quo supra diximus, de musica litterarum natura quaesivit et quandam accentuum

disciplinam instituisse videtur. *Heraclidem* quoque *Ponticum* his studiis non alienum fuisse apparet, quum apud Diogenem Laërtium in librorum eius recensu etiam *γραμματικὰ* citentur. Sed inter omnes Aristotelis discipulos, ut aliis in rebus, sic etiam in grammaticis quaestionibus tractandis *Theophrastus* ad admirabilem magistri sui diligentiam proxime accessit. Cuius studii quum certa vestigia exstent, accuratam tamen eius cognitionem requirimus. Movit ille quoque quaestionem de partibus orationis, et singulas quasque grammatica ratione persequutus est, quod ex Simplicio discimus ad Arist. Categ. Fol. 8. ed. Ven.: *αἱ ἁπλαῖ φωναί, αἱ σημαντικαὶ τῶν πραγμάτων καθὸ σημαντικαί εἰσιν, ἀλλ' οὐ καθὸ λέξεις ἁπλῶς· καθὸ μὲν γὰρ λέξεις, ἄλλας ἔχουσι πραγματείας, ἃς ἐν τῷ περὶ τοῦ λόγου στοιχείων**) *ὅ τε Θεόφραστος ἀνακινεῖ καὶ οἱ περὶ αὐτὸν γεγραφότες, οἷον πότερον ὄνομα καὶ ῥῆμα τοῦ λόγου στοιχεῖα ἢ καὶ ἄρθρα καὶ σύνδεσμοι καὶ ἄλλα τινά.* Idem de iusto verborum usu et nexu uberius egit in libro *περὶ λέξεως*, cuius nomen inter Theophrasti scripta a Diogene L. p. 125. recensetur, argumentum et rationem Dionysius indicat de Comp. Verbb. p. 212. ed. Sch. Nam ubi diligentem nominum in scribendo delectum quam maxime commendat, haec addit: *Εἴρηται δέ τινα περὶ τούτων καὶ Θεοφράστῳ κοινότερον ἐν τοῖς περὶ λέξεως, ἔνθα ὁρίζει, τίνα ὀνόματα φύσει καλά, παραδείγματος ἕνεκα, ὧν συντιθεμένων καλὴν οἴεται καὶ μεγαλοπρεπῆ γενήσεσθαι τὴν φράσιν, καὶ αὖθις ἕτερα μικρὰ καὶ ταπεινά, ἐξ ὧν*

---

*) Sic aperte scribendum pro: *ἐν τῷ περὶ τοῦ λόγου στοιχείῳ.* Idem Simplicii locus eodem modo correctus affertur a Menagio ad Diog. L. p. 126, sed nescio quo errore tanquam ex commentariis ad Arist. libr. de Coelo petitus.

οὔτε ποίημα χρηστὸν ἔσεσθαί φησιν, οὔτε λόγον. Ex hoc Theophrasti libro haud dubie petita est definitio illa de nominum pulchritudine, quam Demetrius Phal. de eloc. §. 175. servavit: ποιεῖ δὲ εὔχαριν τὴν ἑρμηνείαν, καὶ τὰ λεγόμενα καλὰ ὀνόματα. ὡρίσατο δ' αὐτὰ Θεόφραστος οὕτως· κάλλος ὀνόματός ἐστι τὸ πρὸς τὴν ἀκοὴν ἢ πρὸς τὴν ὄψιν ἡδὺ ἢ τὸ τῇ διανοίᾳ ἄτιμον*). Et ex eodem fonte fluxisse videntur Theophrasti definitiones τοῦ ψυχροῦ et τοῦ πιθανοῦ, quae §. 114. et 229. eiusdem libelli afferuntur. Denique ex reliquis Theophrasti libris, quos Diogenes enumerat, haud iniuria, opinor, ad grammaticum genus referimus libros περὶ μέτρων et περὶ σολοικισμῶν. Cum Theophrasto autem et studio et aetate arcte coniunctus erat *Praxiphanes* ille, qui grammatico nomini decus et dignitatem addidit. Sed accurata eius artis imago ex paucissimis vestigiis informari non potest: sed in his ipsis criticae potius quam grammaticae studium conspicimus: composuit enim libellum περὶ ἱστορίας, teste Marcellino Vit. Thuc. pag. VII: idem in prooemio Hesiodi ἔργων versus quosdam spurios esse iudicavit, et initium Platonis Timaei reprehendit **). Ad grammaticam nostram unice pertinet Demetrii locus §. 57., in quo Praxiphanis iudicium de vi particularum quarundam continetur ***).

---

*) Perperam Galaeus ad h. l. Theophrasti librum περὶ λέξεως eundem esse censet cum libro περὶ λόγου στοιχείων.

**) Cfr. Procl. Prolegg. ad Hes. Opp. p. 4. ed. Gaisf. et Procl. ad Platonis Timaeum init.

***) Καθόλου γάρ, ὥσπερ ὁ Πραξιφάνης φησίν, ἀντὶ μυγμῶν παρελαμβάνοντο οἱ τοιοῦτοι σύνδεσμοι (δή, νύν et similes quidam) καὶ στεναγμῶν, ὥσπερ τὸ αἶ αἶ καὶ τὸ φεῦ.

Sic igitur quum apud Peripateticos nusquam perfectam grammaticae disciplinam inveniamus, re ipsa ad *Stoicos* ablegamur, qui praeter illos plurimum ante florentem Alexandriae aetatem litteris operae tribuerunt. Neque coniectura solum ad hanc philosophorum familiam adducimur, sed multa veterum scriptorum testimonia ad eam confirmandam accedunt. Nam Stoici primi scientiam linguae philosophiae suae finibus receperunt, et primam dialecticae partem locum *περὶ τῆς φωνῆς* fecerunt, in quo ab ipsius vocis natura et simplicissimis eius elementis profecti omnia compositionis et elocutionis praecepta tractabant. v. Diog. L. VII. p. 174. F.: *εἶναι δὲ τῆς διαλεκτικῆς ἴδιον τόπον καὶ τὸν προειρημένον περὶ αὐτῆς τῆς φωνῆς, ἐν ᾧ δείκνυται ἡ ἐγγράμματος φωνή, καὶ τίνα τὰ τοῦ λόγου μέρη καὶ περὶ σολοικισμοῦ καὶ βαρβαρισμοῦ, καὶ ποιημάτων καὶ ἀμφιβολιῶν, καὶ περὶ ἐμμελοῦς φωνῆς καὶ περὶ μουσικῆς καὶ περὶ ὅρων (κατά τινας) καὶ διαιρέσεων.* p. 117. B: *τῆς δὲ διαλεκτικῆς θεωρίας συμφώνως δοκεῖ τοῖς πλείστοις ἀπὸ τοῦ περὶ φωνῆς ἐνάρχεσθαι τόπου**). Vocem igitur in universum corpoream esse dicebant, nimirum aëra percussum; vocem humanam articulatam, a ratione emissam et quatuordecim annorum aetate perfectam esse: deinde *λέξιν*, *λόγον* et *διάλεκτον* ita distinxerunt, ut *λέξις* esset quicunque sonorum complexus, qui scribi posset, etiamsi sensu careret, *λόγος* enuntiatum quodvis, in quo sensus et ratio inesset, *διάλεκτος* denique dictio secundum gentes diversa (*λέξις κεχαραγμένη ἐθνικῶς ἢ Ἑλληνικῶς*). Quare

---

*) Cfr. Apollon. de coniunctt. init.: *εἰς Ἑλληνικὴν παράδοσιν ἀναγνωσμάτων, ἧς οὐδὲ κατ' ὀλίγον ἐπιψαύει ὁ παρὰ τοῖς Στωϊκοῖς περὶ φωνῆς λόγος.*

λέξεως partes litteras faciunt, in quarum ratione hoc novum esse videtur, si Diogeni Laërtio fides habenda est, quod adspiratas semivocalibus adnumerarunt: nam Diogenes, qui τὰ ἡμίφωνα commemorare supersedet, inter ἄφωνα tamen nonnisi tenues et medias recenset.

Deinde quod ad distributionem orationis (τοῦ λόγου) partium attinet, non sine dubitatione in geminis plane Dionysii et Quinctiliani locis haeremus, quos supra in quaestione de divisione Aristotelica attigimus. Uterque enim, sive ut verum dicam, Dionysius, quem Quinctilianus presse sequitur, quadripartitam verborum divisionem, quam nos ab Aristotele profectam esse ostendimus, Stoïcorum principibus (τοῖς τῆς Στωϊκῆς αἱρέσεως ἡγεμόσι) assignat. Sed huius difficultatis partem iam supra sic amoliri conati sumus, ut non sine idonea ratione suspicaremur, Dionysium unicum illum Aristotelis locum, in quo divisio illa commemoratur, facile ignorare potuisse. Quod quum statuatur, illud quaeritur, an credibile sit, primos Stoïcae disciplinae auctores in Aristotelica ratione acquievisse: tum enim facile intelligi possit, quo modo Dionysius ad hos, tanquam ipsorum inventum transtulerit, quod ipsi ab Aristotele accepissent. Nec sane quicquam huic sententiae repugnat in Diogenis Laertii de prima Stoïcorum grammatica narratione, qui locus de hac re gravissimus omnium est: sic enim refert in vita Zenonis l. VII, p. 174: τοῦ λόγου ἐστὶ μέρη πέντε, ὥς φησι Διογένης τε ἐν τῷ περὶ φωνῆς καὶ Χρύσιππος· ὄνομα, προσηγορία, ῥῆμα, σύνδεσμος, ἄρθρον. ὁ δὲ Ἀντίπατρος καὶ τὴν μεσότητα τίθησιν ἐν τοῖς περὶ λέξεων καὶ τῶν λεγομένων. Itaque quum Chrysippus eiusque auditor, Diogenes Babylonius novae divisionis auctores citentur, principes Stoïcorum, Zenonem et Cleanthem nondum ab Aristotele secessisse verisimile est. Optimo iure igi-

tur haec Dionysii verba de Comp. Verbb. p. 20: *εἶθ᾽ οἱ μεταγενέστεροι τὰ προσηγορικὰ διελόντες ἀπὸ τῶν ὀνοματικῶν πέντε ἀπεφήναντο τὰ πρῶτα μέρη*, ad Chrysippum potissimum referemus, qui de orationis partibus tum aliis libris multum commentatus est, teste Diogene L. p. 211: *περὶ τῶν στοιχείων τοῦ λόγου καὶ τῶν λεγομένων, περὶ τῶν στοιχείων τῶν λεγομένων πρὸς Φίλιππον γ´* et *περὶ τῶν στοιχείων τοῦ λόγου πρὸς Νικίαν α´*, tum vero peculiarem librum edidit *περὶ τῶν προσηγορικῶν*, in quo haud dubie novam suam distinguendi rationem tuebatur. Et de eodem Chrysippo Prisciani testimonium accipiendum est, qui I. p. 574. ed. Putsch. in universum dicit: *Secundum Stoïcos quinque sunt orationis partes: nomen, appellatio, verbum, pronomen sive articulus, coniunctio.*

De discrimine *nominis et appellationis* Diogenis Babylonii distinctionem apud Diogenem Laërtium habemus: appellationem *κοινὴν ποιότητα* significare, nomen autem *ἰδίαν* *). In *verborum* definitione nihil novi apud Stoïcos habemus quam proprium eorum dicendi usum, quo verbum *ἀσύνθετον κατηγόρημα* significare dicebant h. e. primam et simplicissimam propositionem. Denique in *coniunctionum* et *articulorum* descriptione eadem oppositio cernitur, quam ab Aristotele in Poëtica indicatam esse ostendimus, ut alterae connectendi, alteri distinendi naturam habeant: *σύνδεσμος δέ ἐστι μέρος*, refert Diogenes L. haud dubie Chrysippum sive Diogenem Babylonium secutus, *ἄπτωτον, συνδοῦν τὰ μέρη τοῦ λόγου,*

---

*) Iisdem fere verbis utitur Dionysius Thrax ad distinguenda nomina propria et appellativa p. 636, 16: *Κύριόν ἐστι τὸ τὴν ἰδίαν οὐσίαν σημαῖνον, προσηγορικὸν δέ ἐστι τὸ κοινὴν οὐσίαν σημαῖνον.*

ἄρθρον δέ ἐστι στοιχεῖον λόγου πτωτικὸν διορίζον τὰ γένη τῶν ὀνομάτων καὶ τοὺς ἀριθμούς.

Ulteriorem huius divisionis progressum Dionysius Halicarnassensis, qui inprimis diligenter hunc locum tractavit, ita exponit, ut primum a nominibus *pronomina* tanquam sexta orationis pars, tum adverbia a verbis, *praepositiones* a coniunctionibus, denique *participia* ab appellativis seiuncta sint *). Sed tota haec distinctio minime ad Stoïcos referenda est: nam Dionysius hoc loco non solum nullam eorum mentionem facit, sed Priscianus diserte ostendit, Stoïcos huic partitioni adversatos veteres et novas orationis partes, quantum in illis fuerit, eodem genere et nomine continuisse: v. I. p. 574: (*Stoïci*) *participium connumerantes verbis participiale verbum vocabant vel casuale* **), *nec non etiam adverbia nominibus vel verbis connumerabant, et quasi adiectiva verborum ea nominabant; articulos autem pronominibus connumerantes finitos ea articulos appellabant, ipsos autem articulos, quibus*

---

*) De Comp. VV. c. 2. p. 20: *Ἕτεροι δὲ καὶ τας ἀντωνυμίας ἀποζεύξαντες ἀπὸ τῶν ὀνομάτων ἕκτον στοιχεῖον τοῦτο ἐποίησαν. Οἱ δὲ καὶ τὰ ἐπιῤῥήματα διεῖλον ἀπὸ τῶν ῥημάτων καὶ τὰς προθέσεις ἀπὸ τῶν συνδέσμων καὶ τὰς μετοχὰς ἀπὸ τῶν προσηγορικῶν.* Quinctilian. I, 4. Dionysium rursus prope ad verbum exprimit.

**) Sic vertit graecum *πτωτικόν*. Verbum enim ipsum (*τὸ ῥῆμα*) erat *ἄπτωτον* ex ratione Stoïcorum: erat enim *στοιχεῖον λόγου ἄπτωτον σημαῖνόν τι συντακτὸν περί τινος ἢ τινων.* Diog. L. pag. 174. Idem Priscianus pag. 910. contendit, Stoïcos participium dixisse *ἀντανάκλαστον προσηγορίαν*, appellationem reciprocam, quia aeque dicatur et „*legens est lector*" et „*lector legens*"; vel *nomen verbale* vel *modum verbi casualem.*

nos caremus, infinitos articulos dicebant, vel ut alii dicunt, articulos connumerabant pronominibus, et articularia eos pronomina vocabant. Praepositionem quoque Stoïci coniunctioni copulantes praepositivam coniunctionem vocabant. Graecum nomen huius coniunctionis, *προθετικὸς σύνδεσμος*, servavit Apollonius de conj. pag. 480. Bkk. in capitis inscriptione: *εἰ δεόντως αἱ καλούμεναι παρὰ τοῖς γραμματικοῖς προθέσεις παρὰ τοῖς Στωϊκοῖς προθετικοὶ σύνδεσμοι καλοῦνται ἢ κατ' ἐνίους συνδεσμοειδῆ μόρια*: ex quo loco Posidonius deinde hanc disciplinae suae rationem defendisse patet. De pronominibus autem dubium esse non potest, Stoïcos ea genus quoddam articulorum fecisse, non articulos partem pronominum, quorum ne nomen quidem (*ἀντωνυμία*) in usu habuisse videntur. Ipse quoque Priscianus alio loco p. 910. haud dubitanter pronuntiat: *Stoïci articulum et pronomen unam partem orationis accipiebant, infinitum articulum vocantes, quem grammatici articulum. — Finitum autem articulum dicebant iidem Stoïci, quod nunc pronomen vocamus, quod et vera ratione pronomen solum est dicendum.* Idem quoque diserte Apollonii testimoniis confirmatur de pronom. p. 4. Bkk. *οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς ἄρθρα καλοῦσι καὶ τὰς ἀντωνυμίας, διαφέροντα δὲ τῶν παρ' ἡμῖν ἄρθρων, ἧ ταῦτα μὲν ὡρισμένα, ἐκεῖνα δὲ ἀοριστώδη*: et de Constr. pag. 68: *ὁ δειπνήσας παῖς κοιμάσθω, ἐφ' οὗ ἀοριστώδης ἡ σύνταξις γίνεται τοῦ ἄρθρου, ἔνθεν καὶ οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς τὰ τοιαῦτα μόρια ἀοριστώδη ἐκάλεσαν.* Denique Stoïcam adverbiorum denominationem, quam Priscianus latine *adiectivum verborum* expressit, graece nusquam relatam inveni: fuerit fortasse *ῥηματικὸν ἐπιθετόν*. Ceterum non dubito, sextam orationis partem, quam ab Antipatro additam esse tradit Diogenes L. VII, p. 174., *τὴν μεσότητα* nihil aliud esse quam adverbium nostrum: quam-

quam nomen unde ductum sit, non facile dixerim, nisi forte eodem sensu μεσότης usurpata est, quo Dionysius Thrax adverbia in ως terminantia μεσότητος παραστατικὰ esse dixit: p. 641. Bkk. Sed alia quoque adverbii appellatio apud Stoïcos obtinebat, incertum quo tempore: πανδέκτης enim nominabatur, quod docet Charisius loco ceterum perobscuro, tamen de hac re satis manifesto, Inst. Gramm. II, p. 171. Putsch.: *Quum autem extrema linea duci postremo vel ab his posset, qui eam orationis partem adverbii totam esse voluerunt, quorum, si quis defensionem ineat, tamen quod idcirco πανδέκτης a Stoïcis ea pars orationis habeatur, eodem illo summoveri se posse respiciet, unde confidit. Nam quum πανδέκτης iure dicatur, cur non alligat consortium sui?*

Hoc iam ex paucis his denominationum proprie Stoïcarum exemplis elucet, eos nomina quaesivisse, quae internam rerum naturam potius designarent, quam illa quibus antiquissimi grammatici utebantur, quibusque et hodie utimur, quae nihil nisi gradum et rationem affinitatis cum nomine et verbo indicant, veluti ἀντωνυμίαν, *pronomen* dicimus, quod nominis locum interdum occupet, ἐπίῤῥημα, *adverbium*, quod verbis adiungatur *), μετοχήν, *participium*, quod et nominis et verbi naturae particeps sit **), denique πρόθεσιν, *praepositionem*, quod aliis vocabulis proponatur.

Iam vero quum Stoïcorum rationem in universa gram-

---

*) Apoll. Synt. p. 7, 14: ἐπιῤῥήματα μᾶλλον ἀπὸ τῆς συντάξεως τὴν ὀνομασίαν ἔλαβον ἤπερ ἀπὸ τοῦ δηλουμένου.

**) Apoll. Synt. p. 16: ἡ μετοχὴ ἀπὸ τῆς μεθέξεως ὀνόματος καὶ ῥήματος, ὡς τὸ οὐδέτερον ἀποφατικόν ἐστι τοῦ ἀρσενικοῦ καὶ θηλυκοῦ.

maticae structura cognoscere cupiamus, magnopere dolendum est, quod tam exigua de ea re notitia nobis servata est. Ex tota nominum et verborum tractatione nihil compertum habemus nisi proprietates quasdam, quarum cognitio cupiditatem nostram sciendi magis excitat quam explet. De casuum significatione quomodo Stoïci ab Aristotele discesserint, iam supra diximus p. 51. In hac quoque disceptatione illa Stoïcorum libido vel nova nomina inveniendi vel vetera novo sensu accipiendi conspicitur. Sed haud dubie hoc loco erraverunt, qui in vulgarem et simplicem rem philosophicas quasdam notiones transtulerint, et nominativum quoque ideo casum esse dixerint, quia rei imago ex cogitatione in linguam deciderit: rectius, puto, casus denominatio a mutata et quasi infracta terminatione derivatur.

Plurimum autem Stoïci in *verbis* proprii habuisse videntur: nam in his quoque nomina circumspiciebant, quae cuiusque temporis vel modi naturam quam accuratissime exprimerent. Quare praesens tempus illi non ut grammatici graeci τὸν ἐνεστῶτα χρόνον dicebant, sed *imperfectum*, τὸν ἀτέλειον, Prisciano teste VIII, p. 813. ed. P.: *eo, quod prior eius pars, quae praeteriit, transacta est, deest autem sequens i. e. futura.* Deinde imperfectum nostrum, quod apud graecos παρατατικὸς χρόνος vocabatur, Stoïci τέλειον ἐνεστῶτα h. e. praesens perfectum appellabant. Prisc. p. 814. Utrumque haud dubie veram linguae observationem continet: omnino enim actio illa, quam praesenti nostro includimus, quum maxime peragitur ideoque imperfecta est: contra imperfecto, quo modo nos aliquid peregisse indicamus, revera praesentem statum describimus. Sed ad communem usum haec ratio, quae raris et inusitatis nominibus ad notas res exprimendas

uti cogebatur, vix accommodata esse potuit *). Ista igitur appellationum novitas et difficultas quum haud parvo impedimento fuisse putanda sit, quominus grammatica Stoïcorum late pervulgata sit, tamen in eximia eius diligentiae et subtilitatis laude magnopere mirandum videtur, quomodo factum sit, ut nihil eorum, quae tanquam propria illorum inventa passim commemorantur, in vulgarem grammaticam transierit. Cuius rei ut praecipua causa intelligatur, ad prima nobis florentis grammaticae tempora descendendum est, quibus omnes huius artis fontes aperiebantur.

Quum duae essent, post extinctam Graeciae artium et litterarum lucem, quum reliquarum disciplinarum, tum criticae celeberrimae sedes, Alexandria et Pergamus, magna inter eas temporis progressu aemulatio orta est. Sed in nulla doctrinarum parte simultas illa et contentio acrior fuisse videtur, quam inter grammaticos. Nam utriusque scholae principes diversam plane in lingua tractanda rationem sequuti dicendo et scribendo non sine livore inter se certabant. *Crates*, Pergamenae scholae lumen, ipse erat sectator stoïcae philosophiae **), Diogenis Babylonii auditor et Chrysippi disciplinae inprimis addictus. Huius libros sex *περὶ ἀνωμαλίας* Crates doctrinae suae fundum fecit, iisque fretus in rebus gramma-

---

*) Bene Apollon. de Coniunct. p. 470. dicit: *οἱ καὶ ὀνόμασιν ἀλλοτρίοις προσχρησάμενοι ἤπερ τοῖς εἰς γραμματικὴν συντείνουσι Στωϊκὰς παρεισφέρουσι δόξας, ὧν ἡ παράδοσις οὐκ ἄγαν χρειώδης πρὸς τὴν εἰς γραμματικὴν συντείνουσαν τεχνολογίαν.*

**) V. Suidas s. v. *Κράτης Τιμοκράτους, Μαλλώτης, φιλόσοφος Στωϊκὸς — σύγχρονος Ἀριστάρχου τοῦ γραμματικοῦ ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ Φιλομήτορος.*

ticis usui potius quam rationi obsequendum duxit *). Contra ea *Aristarchus*, aequalis eius, tetendit, qui Aristophanem Byzantium magistrum sequutus, analogiam grammaticam contra anomaliam Pergamenorum defendit. Varro inprimis huius certaminis naturam et progressum nobis indicavit L. L. l. IX, init., qui et ipse Gellio auctore II, 25. pro analogia scripsit, quamquam in libris de lingua Latina mediam potius inter diversas rationes viam ingreditur**). Nobis quidem, ut verum fateamur, tota ista disceptatio vix tanto hiatu digna esse videtur, nec satis intelligimus, quomodo in ista re tam ampla certandi materies posita sit. Quum enim grammatica non ea sit disciplina, quae multa creanda habeat et invenienda, sed cuius summa laus in diligenti observatione et compositione earum rerum cernatur, quae in linguae usu inveniuntur, ipsa rerum natura certas leges scribere videtur, quantum earum analogia comprehendi possit, quantumve anomaliae et liberae dicendi consuetudini relinquendum sit. Sed utcunque de ea contentione iudicandum videtur, Cratetis ratio et una cum

---

*) V. Varr. L. L. IX. (VIII.) init.: Crates nobilis grammaticus, qui fretus Chrysippo homine acutissimo, qui reliquit sex libros ἀνωμαλίας (quatuor secundum Diogenem L. p. 210.) his libris contra analogiam atque Aristarchum est nixus. cfr. l. VIII (VII), c. 36. p. 438. c. 38. p. 442. X (IX) c. 3. p. 565.

**) V. Lib. IX (VIII), p. 458.: Sed hi qui in loquendo partim sequi iubent nos consuetudinem (ἀνωμαλίαν), partim rationem (ἀναλογίαν), non tam discrepant, quod consuetudo et analogia coniunctiores sunt inter se quam hi credunt: quod est nata ex quadam consuetudine analogia: et ex hac consuetudo ex dissimilibus verbis eorum, quod declinationibus constat: neque anomalia neque analogia est repudianda.

illa Stoïcorum in grammatica auctoritas validiori Alexandrinorum scholae cedebat, et ex *Aristarchi* disciplina prima perfectae grammaticae doctrina prodiit, ex qua omnia sequentium et recentiorum criticorum studia pendent. Cuius quamquam breve et succinctum, tamen genuinum et memorabile specimen etiamnum servatum habemus, *Dionysii Thracis* artem grammaticam, primum editam illam ab I. A. Fabricio in Bibliothecae Graecae Vol. VII., nuper opportune repetitam ab Immanuéli Bekkero Anecd. Tom. II. Hoc enim certissime pronuntiare audeo, esse libellum illum, quem Dionysii nomine inscriptum tenemus, revera a celebri illo Aristarchi discipulo profectum, quamquam ipsa eius libri scholia gravissimam de ea re dubitationem movent et alium potius Dionysium eius auctorem esse volunt *). Sed neque argumenta, quibus haec suspicio nititur, idonea sunt, neque ex altera parte certis rationibus destituti sumus, quibus contrariam sententiam probemus. Scholiastes enim, quisquis putandus est, qui prolixam illam commentationem ad Dionysii prooemium conscripsit, p. 672. ed. Bkk. contendit, *τοὺς τεχνικοὺς*, qui veri Dionysii, Aristarchi discipuli, mentionem faciant, tradidisse, hunc appellationem a nominibus secernere, eun-

*) P. 672: *θέλουσι οὖν τινες μὴ εἶναι γνήσιον τοῦ Θρᾳκὸς τὸ παρὸν σύγγραμμα, ἐπιχειροῦντες οὕτως ὅτι οἱ τεχνικοὶ μέμνηνται Διονυσίου τοῦ Θρᾳκός, καὶ λέγουσιν ὅτι διεχώριζε τὴν προσηγορίαν ἀπὸ τοῦ ὀνόματος καὶ συνῆπτε τὸ ἄρθρον καὶ τὴν ἀντωνυμίαν. ἄρα οὖν οὐκ ἔστιν Διονυσίου τοῦ Θρᾳκὸς τὸ παρὸν σύγγραμμα. ἔστιν οὖν εἰπεῖν ὅτι ἄλλος ἦν ἐκεῖνος Διονύσιος ὁ Θρᾷξ καὶ ἄλλος ὁ ποιήσας τὸ παρὸν σύγγραμμα ἐκεῖνος μὲν μαθητὴς Ἀριστάρχου, οὗτος δὲ ὁ τοῦ πηροῦ* (sic).

denique pronomen cum articulo una orationis parte complecti. Sed in hac re, si quis omnino, quae scholiastes narrat, retulerit, de quo magnopere dubito, manifestus error positus est. Utrumque enim, quod Dionysius illo loco statuisse traditur, in Stoïcorum ratione docebatur; neutrum Aristarchum probasse certo scimus: quomodo igitur credibile est, Aristarchi discipulum ea consulto statuisse, quae magister reiecerat? et quam inepte ea potissimum tanquam propria Aristarcheae disciplinae documenta exhibentur, quae ei prorsus contraria sunt? Nam Aristarchus primum Quinctiliano teste I, 4, 19. vocabulum seu appellationem, quam Stoïci seorsim tanquam peculiarem orationis partem constituerant, rursus cum nomine coniunxit, et sic pro novem octo fecit dictionis partes. Quod idem Dionysius Thrax instituit, iisdem fere verbis usus, quae Quinctilianus Aristarcho tribuit: ἡ γὰρ προσηγορία ὡς εἶδος τῷ ὀνόματι ὑποβέβληται, p. 634 *). Tum autem Aristarchum non ex Stoïcorum ratione articulum cum pronomine copulasse iam ex octo partium divisione colligi potest, quae ad Aristarchum diserte refertur **); sed clarius etiam ex eo apparet, quod Apollonius tradit, Aristarchum ipsum propriam pronominum definitionem tentasse, quae Stoïcae manifesto repugnat. Aristarchus enim pronomina λέξεις κατὰ πρόσωπα συζύγους appellavit. Cuius definitionis quis sensus sit, nusquam ab Apollonio satis explicatur, qui ipse in ea re magnam iudicii levitatem ostendit, quum altero loco Aristarchi sententiam tueri videatur, altero aperte eam im-

---

*) Quinctilianus: *Aristarchus et aetate nostra Palaemo, qui vocabulum sive appellationem nomini subiecit tanquam species eius.*

**) Quinct. I, 4. *Alii tamen ex idoneis duntaxat auctoribus octo partes sequuti sunt, ut Aristarchus.*

pugnet. Nam primum de Constr. II, 5. p. 100. Bkk. exclamat: πῶς οὖν οὐκ εὐήθεις οἱ περὶ Ἄβρωνα καταδραμόντες Ἀριστάρχου ὡς οὐ δεόντως φαμένου κατὰ πρόσωπα συζύγους τὰς ἀντωνυμίας, καθὸ κοινὸς ὁ ὅρος καὶ ῥημάτων, καὶ μᾶλλόν γε αὐτῶν; Idem autem de Pronom. pag. 1. hoc ipsum argumentum, quod in Habrone irridet, contra Aristarchum affert: Ἀρίσταρχος λέξεις κατὰ πρόσωπα συζύγους ἐκάλεσε τὰς ἀντωνυμίας· ᾧ καὶ αντίκειται τὸ μὴ ἴδιον εἶναι τοῦτο τῶν ἀντωνυμιῶν· ἰδοὺ γὰρ καὶ τῶν ῥημάτων· μᾶλλον γὰρ αὐτῶν ὁ ὅρος· καὶ κατὰ πᾶν πρόσωπον ἀκολουθεῖ, αἱ δὲ ἀντωνυμίαι οὐχ οὕτως ὡς εἰρήσεται. Aristarchus autem nihil aliud mira illa appellatione indicare voluisse videtur, quam quod pronomina, quo nomine nulla nisi personalia, quae dicuntur, et possessiva complectebatur, peculiares trium personarum formas prae se ferant. Hoc satis obscure et per ambages Apollonius innuit de Constr. p. 101, 7. Bkk. *): multo clarius Dionysius Thrax, qui haud dubie magistri placitum ob oculos habuit, eandem sententiam sic expressit p. 640: ἀντωνυμία ἐστὶ λέξις ἀντὶ ὀνόματος παραλαμβανομένη, προσώπων ὡρισμένων δηλωτική. Ceterum Aristarchum etiam hoc loco Stoïcorum rationem respexisse et subvertere conatum esse, quippe qui pronomina cum articulis coniungerent, persuasum mihi habeo: ille enim eam potissimum pronominum proprietatem definitione sua protraxit, quae articulis cum iis non

---

*) Ἐκεῖνο οὖν ἀντωνυμία τὸ μετὰ δείξεως ἢ ἀναφορᾶς ἀντονομαζόμενον, ᾧ οὐ σύνεστι τὸ ἄρθρον. ἰδοὺ γοῦν ἡ δεῖξις καὶ ὁ ὁρισμὸς τῶν προσώπων ἄχρι τοῦ τρίτου διῆλθε· καὶ γὰρ ἀναφερόμεναι ὁρίζονται, καθὸ τὰ πρόσωπα ἐγνώσθη, καὶ δεικνύμεναι, καθὸ τὰ πρόσωπα ὑπ' ὄψιν ἐστί· καὶ ταὐτό ἐστιν ἡ συζυγία τῶν προσώπων.

communis esset. Dionysius igitur non contra Aristarchum, sed illum vel maxime sequutus articulum a pronomine distinxit.

Iam vero quod nullam dubitationem de Dionysianae grammaticae auctore reliquam esse patitur: quae apud varios scriptores ex Dionysii arte seu *παραγγέλμασιν* petita legimus, totidem verbis in nostra exstare videmus. Sextus Empiricus, qui plurimi facit Dionysii Thracis auctoritatem, aperte nullum alium librum eius ob oculos habuit, quam quem nos hodie manibus tenemus. Ille enim quum eius grammaticae definitionem primam omnium recenseat, eadem verba proponit, quae grammaticae nostrae initium faciunt: *γραμματική ἐστιν ἐμπειρία τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ λεγομένων* *). Deinde eandem grammaticae divisionem, quam Sextus tanquam Dionysio propriam affert, in nostro Dionysio invenimus: *Διονύσιος ὁ Θρᾷξ ἓξ μέρη γραμματικῆς εἶναι λέγων — ἐν τούτοις καὶ τὸ ἱστορικὸν ἀποδίδωσιν· εἶναι γάρ φησι γραμματικῆς μέρη, ἀνάγνωσιν ἐντριβῆ κατὰ προσῳδίαν, ἐξήγησιν κατὰ τοὺς ἐνυπάρχοντας ποιητικοὺς τρόπους, λέξεων* (Dionys. *γλωσσῶν*) *καὶ ἱστοριῶν ἀπόδοσιν, ἐτυμολογίας εὕρεσιν, ἀναλογίας ἐκλογισμόν, κρίσιν ποιημάτων* **).

Denique Ammonius Hermias, cuius testimonio iam supra aliquoties usi sumus, quum Dionysii Thracis explicationem verbi *στοιχεῖον* afferat, ipsa grammaticae nostrae verba inducit: *τὸ τοῦ στοιχείου ὄνομα τὴν ἐκφώνησιν σημαίνει διὰ τὸ ἔχειν στοῖχόν τινα καὶ τάξιν, φησὶν ὁ Διονύσιος* ***).

---

*) V. Sext. Emp. adv. Math. I, 3. pag. 228. ed. Fabr.

**) Cfr. Sext. I, 12. p. 268. et. Dionys. gr. pag. 629. B.

***) Amm. Herm. ad. Arist. de Intpr. p. 20. rect. et. Dion Gr. p. 630.

Quae quum ita sint, haec Dionysii grammatica iure tanquam Aristarcheae disciplinae exemplum considerari potest, qualis in scholis Alexandrinis et mox in reliquis omnibus, quae inde per totum terrarum orbem propagatae sunt, doceri solebat. Pauca sunt, quae in grammatica hodierna in descriptione partium orationis earumque conversionum ad Dionysii artem vel nova vel immutata accesserunt. *Nomen* etiam apud illum latissimis finibus continetur, ita ut non adiectiva tantum et comparationem eorum, quam vulgo dicunt, sed etiam pronomina demonstrativa et interrogativa complectatur: quae quamquam melius recentior disciplina a nominum ambitu seiunxit, tamen in Dionysii libro omnium generum enumeratio tam diligenter instituta est, ut aliam distributionem vix desideremus (v. pag. 634 et 635). Deinde *declinationum* nulla divisio apparet, fortasse brevitatis causa omissa. *Articuli* autem Dionysio non solum praepositivi, sed etiam postpositivi sive pronomina relativa dicuntur. Denique *pronomina* nulla esse statuit, nisi personalia et possessiva (v. p. 640). Iam vero in Dionysii arte omnem grammaticae dictionis apparatum, quae a Romanis summa fide recepta et expressa nostra aetate regnat et semper regnabit, perfectum et excultum videmus. Multa de origine eius incomperta relinquere cogimur: manifesta et certa huius progressus vestigia penitus perierunt: illud in universum ex disputatione nostra colligi posse videtur: quum Aristoteles grammaticum dicendi usum aperte imperfectum et vix nascentem reliquerit, quumque Stoïcorum conatus magnam partem in novis et inusitatis nominibus quaerendis occupati essent, primis Alexandrinae scholae grammaticis et Aristarcho inprimis plurimum in ea re inveniendi laudis esse tribuendum.

Corrigenda.

Pag. 39. l. pro *indagari* leg. *indagare.*
— 42. not. l. 3. post. v. *συνθήκης* add.: *ἀνθρώπων μὲν εἰκότως πρὸς ἀνθρώπους γενομένης.*
— 54. l. 20. pro *ὀνόματι* leg. *νοήματι.*
— 58. l. 23. pro *τὸ* leg. *τόν.*

TYPIS

C. F. THORMANNI.

END OF
TITLE